
















de ꝗ ʃur.
ʃolut. matri. vbi
poſt oblationem nih
, quia nec depoſitio
ex huiuſmodi ca
ʃur.

The first edition of Bauhinus' four books " De fabrica corporis ", based on Vesalius' works.

" Caspar Bauhinus (1560-1624), professor at Basel was distinguished as a botanist, and in that capacity his name is still remembered. He erected an anatomical theatre in 1589. He produced a fine anatomical textbook which, though containing few original elements, was sound, scientific, and scholarly, and was often reprinted. A few anatomical terms are due to Bauhin, among them Areola and Phrenic nerve. He gave a good description of the muscles that move the tongue ". (Singer).

This first edition is scarce. — Some leaves dampstained.

CASPARI BAVHINI BASIL.

MEDICI & PROFESS.

DE

Corporis humani fabrica:

LIBRI IIII.

Methodo Anatomica in prælectionibus pub: proposita: ad And. Vesalij Tabulas instituta: sectionibusq; publicis & priuatis, comprobata.

Multis deniq; nouis inuentis & opinionibus aucta.

Cum gratia & priuilegio Cæs. Majest.



BASILEAE,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.

ANNO CHRISTI CIↃ. IↃ. XIC.

AETATIS XXIX.



Corporis effigiem sumis pictoris ab arte:
Ipsemet ast animi solus Apelles eris.

IOAN. ALBOSIVS, HENRICI IV.
Francorum Reg. Med. ordi.

ILLVSTR. AC GE-
NEROSO
D. BERNHARDO
COMITI
ORTENBVRGICO
BARONI
IN
FREYENSTAIN & KARLSPACH:
HELICOVRIAE LILAE ET
MOERSPERGI
Domino
ARCHIDVCIS CAROLI
CONSILIARIO
&c.
LITERATOR. FAVTORI
DOM. S. CLEMEN.
Casparus Bauhinus Basil. A-
natomicus & Botanicus
ACAD. BASIL.
Professor ordinarius.
Hanc
HVMANI CORPORIS
Anatomen
D. D.
Τύχῃ καὶ Πόνῳ.

Ex libris Joannis Sebastiani Matthaei Müller medici

a 2 ALE-


LEXANDRVM Magnum inter tot tãtosq́ rerum triumphos, ILLVSTRIS ET GENEROSE COMES, animalium & insectorum cadauera, quo eorũ & naturas & vires indagaret, inspicere voluisse, monumenta tradunt. Legimus quin etiam & Reges & Principes adeò fuisse Anatomes studiosos, vt Ægyptiorum reges suis manibus, nõ solùm mortuorum cadauera, sed & viuorum corpora, nocentium tamen, dissecare nõ abhorruerint, quo abditorũ morborũ causas perscrutarẽtur: alij verò, vt seipsos agnoscerẽt. Quid enim in hac vita pręstantius, quàm, cõsiderationi & contemplationi naturæ suę incumbere, corporis sui fabri-

fabricam intrò aſpicere, mẽbrorum ac viſcerũ miras & artificioſas actiones, ad quas obeundas condita ſunt & ordinata omnia, conſiderare? Hæcq́ iam cognita animo nobiſcum voluentes & agitantes, ſapientiam & prouidentiam Archetypi noſtri ratiocinari & contemplari. Hinc ſanè præceptum illud ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ natum eſſe videtur: quod alij à Chilone, alij à Thalete Mileſio ex ſeptem Græciæ ſapiẽtibus vno, dictũ volũt: alijs verò, Pythagoræ ſymbolum, veluti oraculum ex tripode dictum, ſtatuitur. Quod tantum olim ponderis habuit, vt Poëtæ id è cœlo deſcendiſſe crediderint, foribusq́ tẽpli Delphici inſculptũ fuiſſe. Hoc Apophthegma, etſi à pleriſq́ ἠθικῶς ad mediocritatis commendatio-

nẽ referatur, prima tamen frõte, magis à corpore quàm ab animo, deductũ & natum videtur. A`qua ſententia, neque adeò eloquentia parens Cicero ad Q. fratrem, abhorret: Et illud, inquit, γνῶθι σεαυτὸν, noli putare ad arrogãtiam minuendam ſolùm eſſe dictum, verum etiam, vt bona noſtra norimus. Hic bona corporis magis quàm animi, oratorem intellexiſſe credimus. Atque hoc ſibi Pallade epigramma voluit:

εἰπὲ πόθεν συμμετρεῖς κόσμον καὶ πείρατα
γαίης,
ἐξ ὀλίγης γαίης σῶμα φέρων ὀλίγον;
σαυτὸν ἀρίθμησον πρότερον, καὶ γνῶθι σεαυτὸν,
καὶ τότ᾽ ἀριθμήσεις γαῖαν ἀπειρεσίην
εἰ δ᾽ ὀλίγον πηλὸν τοῦ σώματος οὐ καταριθ-
μεῖς,
πῶς δύνασαι γνῶναι τῶν ἀμέτρων τὰ μέ-
τρα;

Hoc eſt,

Fare age, qui cœlum metiris & vltima terræ,
Quũ tibi de modica ſit breue corpus humo?

Te

Te prius explores & nosce, hinc plurima vastæ
Sunt loca telluris dinumeranda tibi.
Corporis at si non glebam metire pusilli,
Qui potes innumeræ nosse rei numerum?

His sanè eos perstringit qui ad sublimiora aspirare sibi statim ꝓmittunt, cũ corporis sui mẽsuram compositionemq́; prorsus ignorẽt. Sic apparet, veteres hoc dicto vsos, vt quemlibet admonerẽt, suam ipsius naturã vt pernosceret. Quid enim Philosopho, quid inquam Medico turpius, quàm in seipso suas partes & membra, earumq́; cõpositionem ignorare? præsertim verò, cũ corpus nostrum ex summa prouidentia & sapiẽtia Archetypi & protoplastis nostri ter Opt. terq́; Maximi, ad similitudinẽ mũdi sit efformatũ. Vnde D. Ambrosius verè scriptũ reliq̃t humani corporis fabricã esse instar mũdi. Siquidem vt cœlum eminet aëri, terris

maria, quę sunt veluti mũdi mẽbra quędam: ita etiã caput, supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumq́ esse omnium tanquã inter elementa cœlum, tãquam arcẽ inter reliqua vrbis mœnia, vt in quo pręcipuè sunt partes, quę motui & sensui membrorum, cognitioni & intellectui potiss. cõducunt, in eo enim, iuxta Platonis & Galeni sententiam, sedes rationalis animæ est.

Hęc ergò animo voluentes, vt qui à prima iuuenta huic studio incubuerimus, & toto penè decennio in hac celeberrima Basileensiũ Academia, & publicè & priuatim pręfuerimus, quo facilitate & breuitate potissimũ Medicinæ tyrones, ad hanc pręstantissimã artem, & sanctã Philosophię par-

partem (quæ nõ solùm à plerisq; Philosophis, sed & à plurimis Medicis magno cũ suorũ ægrotorum dispẽdio, negligitur) addiscẽdam, suoq; tẽpore expoliẽdam, nouisq; inuentis augẽdam (vt à quibusdam pręclaris viris, verè Philosophis & Medicis, hoc nostro fit seculo) stimulũ adderemus, hãc Anatomen, methodo Anatomica, tali, inquã, methodo conscriptã, vt sine præceptore quiuis corporis sectionem aggredi facilè possit (vti fusiùs in Pręfatione) dare voluimus. Ancipitẽ ergò iudiciorũ aleã, in excluso partu adeò immaturo, vi tamẽ quasi extorto, subituri, sollicitè quærebamus sub cuius patrocinio & tutela liber hic tectus, vt Teucer ille sub Aiacis clypeo, maleuolorum calũnias parui faceret

 &in

& in studiosorũ manus, in quorũ gratiã hanc Anatomẽ scripsimus, gratior accederet. Primus COMES GENEROSE, occurristi, sub cuius auspicijs hanc nostrã Anatomẽ prodire volui. Volui verò istud, hoc nomine cõprimis, quod singulari humanitate T. G. literatos & rẽ literariam prosequi, cõpertum habeã: eamq́ꝫ (vt nil dicam de Generosissima prosapia) in varijs linguarum & disciplinarum generib. pro summo suo ingenio versatam esse, certò sciam: præterea etiã, studio hoc tã diuino & elegãtissimo Anatomico delectari, ex affabili & familiari colloquio, mihi perspectum est probé. Qua sanè in re T. G. Heroes priscos, etiam celeberrimos quosq́ꝫ reges (inter quos admirabilis ille Hermes

mes Trismegistus, Alexãder Magnus, Attalus Pergamenus, Mithridates Ponti & Asiæ rex, vt è multis paucos referam) imitatur. Debui & ea propter, quod T. G. corporis sui, cõiugis Generosissimæ & liberorum valetudinem mihi commiserit. Hoc ergô munusculũ licet chartaceũ, magno tamen labore, multisq; vigilijs cõscriptum, tanquam meę ex. G. T. gratę volũtatis pignus, benignè, operamq; meã in quibusuis alijs addictã suscipiat, meq; solito fauore & clementia prosequi velit, etiam atque etiam submissè oro, rogoq;: cui, me quoque omni studio & qua decet animi propẽsa volũtate, commendo. BASILEÆ Rauracorũ, Anno epochæ humanæ CIↃ IↃ XC. pridie Kalendas VII bris.

AD

AD PROLEM APOLLINEAM DE HAC SVA Anatomes editione

CASPARVS BAVHINVS præfatur.



VANTA sit Anatomes vtilitas, Gratiosissima proles Apollinea, si in præsens exponere vellemus, dies potius nos deficeret, quàm vt pro dignitate, id à nobis expediri posset, hoc tamē in nostris Præludijs breuiter attigimus, quibus si Deo ita visum fuerit, cùm de Partibus similaribus agemus, quædam adijciemus: nunc verò instituti nostri præsentis, rationem exponamus. Cùm à teneris à parente fœliciss. memoriæ IOHANNE BAVHINO SENIORE, *in Anatomicis essemus instituti, Italiam & Galliam ingressi, toto triennio Excellētissimis præceptoribus in hoc studio sumus vsi, vtpote Excellentiss.* HIERONYMO FABRICIO *ab Aquapendēte, Patauino Anatomico: Excellentiss. quinetiam* IVLIO CAESARE ARANTIO, *Bononiensi Anatomico: & Ingeniosiss.* SEVERINO PI-

PINAEO, Lutetiano Anatomico: hinc factum, vt toti hoc studio incubuerimus, cuius nomine penè toto nunc decennio huic Professioni, tàm priuatim quàm publicè, VOL. MAIORVM, præsimus. Cùm verò in sectionibus, ad captum tyronum nos maximè, accommodare soleamus, contigit vt à studiosis rogati Anatomen docere & profiteri cœperimus: & dicta, ipsis ita flagitantibus, ad calamum dictauerimus, quæ postmodum in aliquot sectionibus, tàm publicis quã priuatis, tàm humanorum quã brutorum cadauerum dissectionibus, ad oculum fideliter demõstrauimus, vt testes esse possunt, inter plurimos & spectatores & auditores, aliqui eorum, qui postmodum apud nos summum in arte titulum accepêre, quorũ meminisse lubet, vt qui vel tanquam succenturiati, vel scribæ, vel pictoris munere sunt defuncti, & postremis quatuor annis nostris dissectionibus adstitêre: Martinus Chmielecius, Logices Professor hic Basileæ ordina. Hermanus Hagius, Arnemiensium Poliater: Antonius Næuius, Elect. Saxoniæ Medicus: Io. Haintzius:

zius: Esaias Collado Geneuensis: Io. Gregorij Pannonius: Casparus Schvvenckfeldt, Gryphimontani Poliater. Franciscus VVorman, Dresdensis: Io. Sebastianus Frid, Argentinæ Medicus: Sigismundus Schnitzerus, Bambergæ Medicus: Ioan. Brenckerus, Augustæ Medicus: Daniel Pyrnusius fœl. mem. Io. Osvvaldus, Northusæ Medicus: Andreas Seyllerus, Silesius: Christophorus VVexius, Genensis: Cornelius Vossenholius, Antuerpianus: Antonius Boucard, Lotharingus: aliíq; plures. Taceo alios Doctores, vt Cl. Io. Albosium, Henrici 4 Regis Medicum ordin. qui sæpè sæpius editionem sollicitauit: taceo, alios studiosos qui adstitere. Hinc factum, vt cum ea quæ audierant, vidissent in dissectionibus comprobata, non destiterint & ipsi & per alios, editionem hanc vrgere & sollicitare. Sic & ex amicis, quorum aliqui scripta viderāt, aliqui verò simùl collocuti erant, pro gratia & authoritate qua apud me valent, vehemēter contenderunt, vt quod tyronibus Anatomes profuturum certò sibi persuaderent, non premerem, nec ijs inuiderem,

rem, ſed benignè ac candidè impertirer: imò non ſemel, ſed ſæpiùs editionem ſollicitarunt & quaſi, extorſerunt, inter quos ſunt: Viri clariſſimi Medicinæ Doctores, quorum aliquos honoris cauſa nominare lubet. Ludouicus Hauuenriterus, Profeß. Argentin. & Vlrichus Chelius, Argentinenſium Archiater: Ioh. Schenckius à Graffenberg, Friburgenſis Medicus: Ioachimus Camerarius, Norinbergẽſium Archiater: Balthaſarus Brunnerus, Hallenſis Poliater: Gulielmus Romanus, Lipſenſis Medicus: Io. Vlricus Rumlerus, Auguſtanus Medicus, alijq́ʒ plures. Tandem precibus, ſollicitationibus & ſcriptis crebrioribus victi, cedere oportuit, tum vt amici, tum vt viri boni apud eos exiſtimationem conſeruaremus. Hæc eſt editionis ratio.

Quæ verò in hoc opere Methodus, & cur talis ſit obſeruata, breuibus ſubiungamus. In hoc opere primo, deſcripſimus ſolùm CORPVS VIRILE: in cuius deſcriptione, nõ pauca ab alijs vel nõ obſeruata, vel aliter tradita, vel nõ ita dilucidè propoſita, reperiẽt ij, q hãc Anatomen

men cum aliorũ ſcriptis contulerint. De MVLIEBRI verò corpore, proximè ſermo erit: vbi differentiam inter corpus muliebre & virile, quoad omnes partes oſtẽdere conabimur, & ſimul addemus ICONES aliquot hactenus vel nõ editas, vel ſaltem correctiores. Secundò, in hac deſcriptione autopſiam maximè ſecuti ſumus: ſed & lectionem Anatomicorum quos habere potuimus, adiunximus: inter præcipuos defuêre nobis, Gabrielis de Zerbis, Caroli Stephani, Bartholomæi Euſtathij & Archangeli Picolhominei ſcripta, vt & quorundam aliorum, quæ hactenus habere nequiuimus. Vſi verò ſumus potiſſimùm (non enim pudet fateri, per quos profecerimus) lectione Veſalij, Syluij, Columbi, Fallopij, Paræi, Varoli, Iaſolini & Arantij: quid verò ex quolibet noſtris adiecerimus, ſuo etiã & loco & tempore monebimus, hoc enim breue compendiũ noſtræ Anatomes, talia non admittit. Tertiò, quoad ordinem, eum obſeruauimus, quem dũ vnius ſolũ ſubiecti eſt copia, à nobis obſeruari conſueuit: quare primũ omnes abdominis partes, dein thoracis,

tum

tum capitis, tandem artuũ dißectionẽ proposuimus. Quartò, cùm facilis sit lapsus in enumeratione musculorum, si primum, secundũ vel tertium dicamus, cũ facilè secundus pro primo, & primus pro tertio ostendi poßit, idcirco ijs nomina, quæ ex Hippo. Galeno, & cæteris Anatomicis habere potuimus, imposuimus: aliquando etiam vbi nomina apud authores defuêre, ipsis nomina dedimus: exemplum sit in musculis hyoidis & linguæ. Verùm in his nominibus, certa quædam obseruata fuêre: vel enim fuêre ipsis nomina indita à Substantia: vt, mẽbranosus, semimembraneus. Vel à Forma & figura: vt, deltois, scalenus, rhomboides, cucularis, triangularis, quadratus, rectus, obliquus, transuersus, rotundus. Vel ab Exortu: vt, arythenoidei, thyroidei. Vel ab Exortu & Insertione simul iũctis: vt, crycothyroidei, styloglossi, genioglossi. Vel à Capitum numero: vt biceps, triceps. Vel à Magnitudine, vel paruitate: vt, vastus, paruus longißimus, gracilis. Vel à Situ: vt, pectoralis, superscapularis, subscapularis. Vel denique, ab Vsu: vt,

ſupinator, prorator, aniſcalptor, digitorũ abductor, pollicũ tenſor, & eiuſmodi. Sic & organis cõmunib. (ita enim Galẽ. 1. de ſemine 5. Venas, arterias & neruos vocat) obſeruatum etiã. In Venis, potiſſimùm ab vſu & Inſertione fuère denominatæ: ab vſu & officio, vt ſpermaticæ, emulgẽtes: ab inſertione vt inteſtinalis, intercoſtalis, phrenica. Sic & in Arterijs, ab vſu ſpermaticæ, emulgentes: ab inſertione, vt ſacræ, lumbares, phrenicæ. Sed & Neruis ſua ſunt nomina: ab officio, vt nutui, guſtatui, auditui: vel ab inſertione, vt coſtalis, ſtomachicus, & eiuſmodi. Quod ſi verò, hæc nomina cuipiam non arriſerint, vel quod malit, Anatomicorum, vt Veſalij, Columbi, Fallopij numerũ obſeruare & reſeruare: vel quòd nomina ſint aliquando obſcura, nec vſitata: huic etiam obuiam itum eſt, hicq; ſcrupulus ſublatus, dum cuilibet muſculo dictorum Anatomicorum, quos potiſſimùm vt & Syluium ſpectamus, numerũ ſubiecimus: exempli gratià, in muſculis brachij eum quẽ ſuperſcapularem inferiorem vocamus, & quintum in ordine

ſtatui-

statuimus, hunc Columbus sextum: Vesalius verò & Fallopius, septimum faciunt: & hoc quintũ est quod obseruauimus dum dictos tres Anatomicos nostris dictis, & ipsos etiam inter se conciliauimus. Quod autẽ præter id quod nomina imposuimus, ordinem tamẽ, vt ex exẽplo proposito apparet, immutauerimus, factũ est, quia nobis videbatur & ordine eos maximè cõmodè, cùm ita sibi succedant inuicẽ, separari posse. Verũ & sextò, quo magis adhuc studiosos (quod vnicũ cupimus) iuuemus, cũ nostræ Anatomiæ tabulæ nõ sint additæ, partim ne sumptib. grauaremus emptorẽ, partim etiã cùm in omniũ manibus sit, vel opus Vesalij, vel saltem icones quæ separatim fuêre excusæ, vel apud Plãtinum, vèl VVechelum, vel alios: placuit inquã cuilibet etiam capiti præfigere quo in libro, qua in tabula & quo charactere, quælibet arteria, vena, musculus & os inueniri poßit: secuti autem sumus, editionem Basileensem. Septimò quin etiã, ea quæ recentiores habẽt præter veterũ sentẽtiam inuẽta, ea quoad fieri potuit, suis locis, nostris adiunximus. Denique,

quãta potuit fieri facilitate, fide & breuitate non solùm partes, sed & vsus earũdem, proposuimus. Breuiter, inquam, cùm animus sit, si Deus vitam dederit, maius in re Anatomica opus euulgare: in quo diuersas Anatomicorum sententias, proponemus: eorundem authorum loca, citabimus: quæ item quilibet, quãtum ex editionibus colligere licebit, inuenerit, adscribemus: vbi etiam nostra quæ hactenus in viginti octo humanis cadaueribus obseruauimus, magis dilucidè explicabimus. Verùm cùm hæc non vnius sint diei, his interim studiosi, fruantur.

Habetis ergô, vos qui Aesculapij successores fieri cupitis, instituti nostri rationem, horumqúe librorũ quatuor methodum, methodiq́ue rationem, quibus in vestram rem vtimini. Quod si hæc grata fuisse cognouero, proximè alia quædã, vel Anatomica, vel Botanica, Trinuno fauẽte cœptis, subiũgemus. Valete, & ita viuite, vt post viuatis. ATHENIS HELVETIS, Cal. Septemb. M.D.XC.

AD

AD CASPARVM BAVHI-
NVM D. ANATOMES & REI
herbariæ Professorem
ordinarium,

De altera parte suæ Anatomes, quæ est de partibus internis humani corporis:

IOHAN. ALBOSIVS, HENRICI
IV. GALLIARVM & NAVARRAE
Regis Medicus.

SIC præstas BAVHINE fidem, cùm prodis in auras
Tu demùm pacti pollicitiq́ memor:
Corporis EXTERNI dederas namq́ anteà frontẽ
Atriaq́ & nostris obuia luminibus.
Nunc INTERNA subis nostri penetralia tecti
Antra, gyros, cæcos quosq́ recessus habet:
Quoq́ magis iam crescit opus, mage crescit & artis
Splendor, doctrinæ uisq́ decusq́ tuæ.
Pictorum illudit uanas Natura figuras,
Extima sola quibus nempe decora nitent,
Intima at illa colit melius, depingit & ornat
Quæq́ latent imis condita uisceribus.
Discere sicq́ licet sublimem principis arcem
Hic animæ uires, eius & imperium.
Huic dominæq́ subest ancilla potentia triplex,
Quæ uariat genijs, sedibus, officijs:
Quæq́ suos & habet riuos, pariterq́ meatus
Queis regit organici corporis exta sui.
Nerui molem agitant, afflatq́ Arteria uitam
Et Vena irriguo sanguine corpus alit.
Fibrarumq́ sinus, mira uirtute resoluis,
Compagemq́ doces, innumerumq́ genus,

Quo sinuosus abit, parui Labyrinthus & Orbis,
Inuia, ut ingenio sit uia nulla tuo.
Pandis & humani mæandros atque latebras
Pectoris, authorem Momus ut ipse probet.
Ista tuis priscæ repetis monumenta Sophiæ.
Sunt multa at studijs abdita, aperta tuis.
Namque INTESTINI detecta est VALVVLA Coli,
Sic ortum À SPINA NERVVS & omnis habet.
À VENISq; petis nostræ primordia uitæ,
Cũ tu VISCERIBVS VASA priora putes.
Vasorum implicitos nexus, coëuntia CORDIS
Oscula, (fers) Miris hæc uariantq; modis:
Multa, alia immutas, minuis restringis & auges
Perspicua & facili tu breuitate doces.
Et ne quem fallant tua dogmata, iudice tactu
Certas & faciunt Lumina nostra fidem
Sic ratione uales, rationi iungis & usum,
Incedat claudo ne Medicina pede.
Cùm documenta tuæ sint hæc lanuginis, Ecquis
Tarda superueniet quando senectus, eris?

AD LECTOREM.

Ignipotens clypeum (uati si credimus) olim
Fecerat insignem robore & arte, Deus.
Illic Ascanij longo fuit ordine stirpem
Cernere, teq; potens Roma, trucesq; uiros.
Hoc Venus Aeneam donauit munere, Turnum
Contra & Laurenteis fortiter ire iubens.
Aeneas dono lætus per singula uoluit
Mentem, atq; expleri muneris arte nequit.
En quem BAVHINVS docto nũc pectore promit,
Mole

Mole quidem exiguus, magnus at arte, liber:
Hic non Ascanij solum genus edocet: ortus
Vnde sed est hominum, quæq; propago, docet.
Hic non Roma tui primordia: Fabrica μικροῦ
Sed quæ sit κόσμου, quæ sit origo, refert.
Hic loca, non ubi Cæsar agit in prælia gentes,
Sed quæ sunt morbis subdita, ritè notat.
Hoc tibi dat, placidas spreto qui Marte Camænas
Sectaris, clypeo grandius Author opus.
Hoc dat opus, morbi doctus quò castra nefandi,
Vincere maiori dexteritate queas.
Quare te Aeneâ lætum magis esse quid obstat?
Cùm tibi det clypeo grandius Author opus.

Cùm amore & obseruantia in authorē: tùm præstantia operis adductus, hoc ἐνδεκάστοιχον scripsi,
Sigismundus Snizerus Medicinæ Doctor.

Εἰς τὸ τῆς Ἀνατομῆς ἀποτέλεσμα τοῦ ἰατροῦ ἐνδοξοτάτου, Κασπάρου Βαυίνου.

Τῆς ἐγχειρίδιον φύσεως, τόδε κἀμφιθέατρον
Κόσμου, καὶ, μέγα θαῦμ' ἀνθρώπινα σώματα, καλῶς
Ὀρθοτομεῖν ἐγχειριδίῳ, Βαυῖνε, διδάσκων
Τούτῳ, πρῶτα θεὸν κτίστην μερόπων ἀνθρώπων
Δοξολογεῖς, μετέπειτα μέγαν σε Μαχάονα ποιεῖς.
Νῦν δ' εἰπόντι χαίρειν μεγάλην σοι, χρήσιμα δῶμεν.

GEORGIVS REMVS Augustanus I. V. Doctor.

IN

ANATOMEN

CASPARI BAVHINI

Medicorum Excellentißimi, Præceptoris sui colendi.

Μέγα τοῖς βροτοῖσι χάρμα·
Ὁ ΒΟΪΝΟϹ ἐρύτιμος,
Ἐρυσίπτολις τ᾽ ἀκέστωρ,
Βαστένῳ δὴ ἐκτίθησιν
Τόδε πάνσοφον μέλημα,
Φύσιός τε καὶ ἄγαλμα
Μέγα τοῖς βροτοῖσι χάρμα
Ὁ ΒΟΪΝΟϹ ἀμβροτός φως,
Κ᾽ ἀγέρωχος ἔξοχ᾽ ἄλλων,
Νυ ἐτήτυμον πάνησε
Ἔπος, ὥσπερ οἷ δαέντι
Νόος ἐκπέλῃ γ᾽ ἀπήμων,
Νέος οὐ χαμηλὰ πνείων.
Πόθος οὖν ᾧ ἐστὶ θυμὸν
Κατὰ, εὐθέως γινώσκειν
Φύσιος καλὸν τὸ χρῆμα,
Βροτοῦ ἢ σοφὸν τὸ ῥῆμα,
Μελέτω μάλιστα πάντων
Πόνον ἀφθόνως γεραίρειν
ἄφατόν τε, εὐσταλῆ τε·
Χάριτας δέ πω τιταίνειν
ἄφαρ ἀτρεκεῖ λέγοντι.

Basileæ F.

GVILL. BVDAEVS SAXO.

BRE-

BREVIS RERVM INDEX.

stomachi

N

Pes

Testes:

FINIS.

ARISTOTELES 1. DE Part.anim.5.

At si quis cæterorum animalium contemplationem ignobilem, abiectamq; putat, iam hîc de se quoque idem arbitrari debet.

IN ANATOMEN PROLEGOMENA.

DE DEFINITIONE.



NATOMH' Græcis dicitur, ab ἀνὰ καὶ τομὴ, quod ſectionem ſignificat: ἀνὰ verò reduplicationem, quaſi dicas, repetita ſectio: Latinis propriè Diſſectio, quoniam in multas partes corpus diſſecatur.

Duo autem hæc vox ſignificat, vel actionem ipſam, qua partes diſſecamus, vel artem, ſeu habitum animi, quo ad actionem agimur.

Eſt autem hic Habitus ars, quæ corporis humani artificioſam ſectionem, docet. Ars *dicitur, quia habet Theoremata communia.* Corporis humani *additur, quia id ſolum Medici ſubiectum, quatenus ſanabile, vel ægrotabile, vt habet Ariſtoteles 3. Rhetor.* Artificioſam *addimus, ad differentiam lanionum & eorum, qui ſimpliciter, & non ſingulas partes integras diuidunt.*

DE INVENTIONE.

Quod inuenta ſit Anatome cauſa alia Philoſophum, alia verò Medicum impulit.

Philoſophum impulit θαυμασία (admiratio) quæ & Philoſophiæ cauſa fuit, vt habet Plato in Theæteto. Vt enim diuerſorum motuum in animantibus cauſam, & internorũ affectuum animi indagarent, diuerſa ſecuerunt animalia. Poſte-

 rius enim

rius enim vita Democriti demonstrat, vt est apud Hippocratem in Epist. ad Damagetũ scripta.

Medici verò, vt rectiùs partium affectus, ex causa interna probè cognita percurarent, non bruta, sed homines, licet non sine magna abominatione, vt loquitur Philosophus 1. de partibus animal. cap. vltimo, dissecuerunt.

DE INVENTORIBVS.

Artem hanc viri præstantes & inuenêre & excoluêre: Chalcides, primus fuisse existimatur. Alcmeon, à Platone in Timæo citatur.

Eam autem excoluêre summus dictator Medicinæ Hippocrates: Plato, vt ex Timæo constat, Democriti studium ex Hippoc. epistola patet: Aristoteles libris de historia animalium, de partibus animalium, de eorundem motu & de generatione animalium. Galenus plurimis libris eã tractauit, cui & Philosophi & Medici multi, tãquam excultores, successerunt.

Sed & Reges & Principes, huius artis fuêre studiosissimi. Aegyptiorum enim reges, mortuorũ corpora, quo abditorum morborum indagarent causas, suis manibus, vt & viuos, nocentes tamẽ, dissecuisse legimus.

Alexander Magnus, vt animalium naturas, insectorum vires inquireret, inter tot tantosq́ rerum triumphos, eadem inspicere voluit.

Græci, postquam cognouissent Anatomen ad diuini opificij admirationem, ad morum tempe-

randorũ iudicium, ad humanæ naturæ penitiorẽ contemplationem, ad tuendam sanitatẽ, ad curanda corporis mala, deniq; ad scriptorum exquisitiorem cognitionem vtilem & necessariam esse, pueros domi apud parentes in dissectionibus exerceri voluerunt.

M. Antonius Imperator, corporis sui temperamentum, ex dissectione addidicit.

Flauus Boëthius Romanorum Consul, (vt habet Galenus 1. de administratione anatomica 1.) huius artis fuit studiosissimus, ita vt Galeni hac de re libros diligentissimè perlegerit.

Paulus Sergius Romanorum præfectus, Anatomijs Galeni frequenter adstitit, vt ex loco præcitato patet.

DE SCRIPTORIBVS.

Artem verò hanc, scriptis tradidêre ante Galenum, Hippocrates, Herophylus, Diocles, Polybius, Erasistratus, Calystus, Aristoteles, Clearchus, Marinus, & Lycus. Post hos Galenus, qui longè melius istis de hac arte scripsit.

Successêre Ruffus Ephesius, Iunius Pollux, Oribasius, Theophrastus, Soranus, Meletius: alijq; Arabes mitto, vt & Practicos & Chirurgos, qui frequenter quædam suis libris Practicis addere solent.

Post Galenum, inter Græcos artificiosè hoc tractauit Theophilus Protospatarius, qui quinq; libellis oratione dilucida & breui, totam ferè,

quod ſeptendecim libris de vſu partium habet Galenus, expreſſit.

Noſtro ſeculo fuêre, Gabriel de Zerbis Veronenſis, qui editis ſuis ſcriptis anno 1502. viam facilem poſterioribus oſtendit. Secuti ſunt Mundinus, Galeotus Martius, Iacobus Carpus, Alexander Achillinus, Nicolaus Maſſa, Alexander Benedictus, Andreas à Lacuna, Guillelmus Horman, Ioan. Dryander, Io. Guinterus Andernacus, Ludouicus Vaſſæus.

Poſt hos, ſcripſit Andreas Veſalius anno 1543. Baßianus Landus, Io. Baptiſta Cananus Ferarienſis, Iodocus Vvillichius, Carolus Stephanus, Stephanus Riuerius, Iacobus Syluius, Iacobus Greuinus, Franciſcus Veſalius, Matthæus Curtius, Leonhardus Fuchſius, Ioannes Fernelius, Renatus Hennerus, Realdus Columbus, Iohan. Valuerda, quem nuper Michaël Columbus Latinum fecit: Gabriel Fallopius, Ambroſius Pareus, Franciſcus Puteus, Gabriel Cuneus, Bartholomæus Euſtachius, Iulius Cæſar Arantius, Iacobus Guillelmeau, Conſtantinus Varolus, Iulius Iaſolinus, Volchenus Coiter, Io. Baptiſta Carcanus Mediolan. Felix Platerus, Salomon Albertus, Ioh. Bockelius, Archangelus Picilhomineus, Georgius Bertinus, & tandem poſt hos nos ipſi de Partibus externis ex profeſſo tractatum ſcripſimus, cuius nunc altera editio multo locupletior ſub prælo eſt. Et hi ſunt præcipui qui artem hanc illuſtrarunt: Quid verò ſinguli, & quando, quiq; item præter

hos

hos in Anatomicis scripserint, proximè dabimus.

DE SVBIECTO VNIVERSALI ANATOMES.

Cùm eorum, qui hanc artem tractāt vnus & idem non sit scopus, subiectum etiam vnum & idem non erit, licet subiectum Vniuersale sit omnis minima corporis animalis particula: ab hoc enim Subiecto plures differentiæ oriuntur, ita vt alia sit Anatome totius corporis, alia aliquarum solùm partium: illa vel hominum vel brutorum: & eadem, vel viuorum, vel mortuorum: hæc verò vel ossium tantùm, vel musculorū solùm, vel Organorum communium, vel denique viscerum, atq; his inseruientium particularum.

Philosophi, in omnibus animalibus exerceri debent, nec puerili quodam fastidio, vt Aristotelis 1. de part. animal. 5. verbis vtar, viliū animalium disputationem spreuisse, molesteq; tulisse, quod nequaquam dignum est Philosopho, cùm nulla res sit naturæ, in qua non mirandū aliquod iudicium habeatur, & in omnibus naturæ numē & honestum & pulchrum insit ingenium.

Medici verò quatenus Medici, potissimùm in humanis cadaueribus exerceri debent: quatenus verò Philosophi nomen affectant, etiam in omnibus.

Cùm autem difficulter tot humana corpora quot ad hanc artem addiscendam requiruntur, habere possimus, monet Galenus 4. de administ.

anatom.3.& 6.eiusdem libri 3.vt in brutis, maximè verò in ijs, quæ similitudinem quandam cũ humanis corporibus habent, nos exerceamus.

Sex autem pedestrium & quadrupedũ animalium genera locis citatis recenset, & quidem hoc ordine. Primò Simias: dein his similia, quæ πιθηκοειδῆ vocat: tum Vrsos. 4. καρχαρόδοντα, id est, Serratis dentibus præditos. 5. μονώνυχα id est, solipeda. 6. μηρυκάζοντα, id est, ruminantia, de quibus paucis, sed retrogrado ordine.

Primò exerceri conuenit in Ruminantibus, quæ μηρυκάζοντα vocat: hæc autem Moysi Leuitici 11. triplicia sunt: Prima species est τῶν κερασφόρων Cornutorum, quæ simul vngulam diuisam habẽt: tales sunt, Bisones, Boues, Cerui, Alces, Oues, Hirci, Capræ, Rupicapræ, Damæ, Dorcades, Capricorni, Bices, & similia. Secũda species ruminantiũ cornubus priuata est, & vngulã diuisam non habet: vt est, Camelus. Tertia species vt & secunda, vngulam non diuidit, vt sunt Chærogrylli, id est, Echini terrestres & Lepores. Differũt à prædictis, quòd plures ventres non habeant: his adijcĩ possunt Sciuri, Cuniculi, Glires, mures, & similia.

Secundum genus est eorum, quæ μονώνυχα, id est, solipeda, quòd solidam vngulam habeant, dicuntur: vt sunt, Equi, Asini, Muli.

Tertio loco sunt bisulca, quæ vtrinq; dentata sunt, vt sunt porci, & hystrices, quæ ratione viscerum maximè ad hominem accedunt.

Quartò sunt καρχαρόδοντα: id est, quæ serratos

dentes

dentes habent, q̃ Aristoteles digitata vocat. Hæc duplicia, alia maiora, Vrſus, Leo, Panthera, Lupus, vulpes, canis: alia minora, mustelæ, meletes, taxi, feles, & ſimilia. Quæ omnia quatuor digitos habẽt, magno abolito, in quibuſdã tamẽ delineamentũ aliquod habetur. Hinc aliqui ſpecies duas constituunt, dicentes: alia quatuor digitos habere, vt ſunt vulpes, canes, meletes, taxi, & id genus: alia, pedes anteriores quinis, posteriores quaternis digitis, distinctos habere: interiora verò, canibus eſſe ſimilia: Eiuſmodi ſunt Leones, Pantheræ, feles, & ſimilia.

Quintò, ſunt animalia πιθηκοειδῆ dicta, q̃ pedib. priorib. loco manuũ vtũtur, & bipedes instar hominis claudicãtis incedũt, & clauiculas instar hominis poſsidẽt, & ſimijs ſunt ſimilia. Ex his primũ locũ obtinẽt Lynces, dein Satyri, tũ κυνοκέφαλοι: his addere licet Cercopytecas. i. ſimias caudatas.

Sextò, ſunt πιθηκοὺς, ipſæ ſimiæ.

In his ſectionem aggredi poſſumus, quæ licet, ſi ad exteriorem formam reſpicias, homini diſsimilia videntur, interiora tamen ſimilia aliquo modo ſunt. Imò Aristoteles 1. de histor. animal. 16. longè melius ait hæc inſpici poſſe in bruto, quàm in homine. Sic Galenus 8. de vſu partiũ 6. cerebrum bruti ab hominis cerebro non admodũ differre monet, licet complexione differat. Et vt idem ait: Bouis cerebrum, ſolo intellectu & cogitatione ab humano differt. Huius rei cauſam Aristoteles loco citato tradit: quia interiora mẽ-

bra materiam generant pro exterioribus. Differunt enim in his exteriora membra, propterea quòd eundem vſum non habeant: interiorum verò functiones, in homine cum brutis conueniunt: hæc ratione ſpecierum nota eſſe conuenit.

Sed & in humano Subiecto, conditiones aliquot obſeruandæ.

1. Vt viuis parcamus, & mortuorum intima, ac in ijs naturæ arcana indagemus, nec Eraſiſtratum, Herophylum & Carpum imitemur, qui ne viuis quidem pepercêre.

2. Vt integrum ſit & minimè mutilum: eligendum quin etiam hoc cadauer potius, quod in aqua periјt, quàm ſuſpenſum: licet Ariſtoteles lib. 3. de hiſtoria animal. 3. dicat, venarum examen in ſtrangulatis meliùs percipi.

3. Vt ſit recens.

4. Morbo non abſumptum.

5. Sit Mediocre in obeſitate & ſtatura.

6. Sit ablutum & raſum.

7. Editiori & volubili in menſa locetur.

Sed & brutorum viuorum ſectio adiungenda, cùm non omnia, quæ ad corporis cognitionem pertinent, ex mortuis cognoſci queant: vtpote, partium actiones & vſus. Exemplum ſit in neruis recurrentibus, motu cordis, ſitu fœtus, &c.

Hactenus de vniuerſali Subiecto, nunc de Particulari.

DE

DE SVBIECTO PARTICVLARI.

Cùm medicina, quoad operationem in partium internarum curationem, quæ Medicorum: & externarum, quæ Chirurgorum propria est, diuidatur, subiectum etiam particulare diuiditur. Quare illorum, quatenus Medici, est internas partes quàm exactissimè cognoscere. Horum verò externas, nimirum artus, & quæ internas inuestiunt, vtpote musculos, venas, arterias, neruos & ossa, qua de re Gal. 3. de administ. anatom. 1.

Sic & ratione dissectionis partium, subiectum variare poterit. Exemplum sit ex Galeno, qui musculorum fibras in macilentis & vetustis animalibus, multo rectius quàm in pinguibus, conspici monet.

DE ORDINE.

In Corpore humano duo consideranda, vel Totum, vel Partes: quare de illo prius, de hoc posterius agendum.

In toto, figuram hominis erectam, quæ homini soli contigit, idq; mauum solùm gratia: licet Aristoteles in ossis femoris & coxæ articulationis confirmationem, causam referat. Sed de figura Plato, Aristoteles, Cicero 2. de nat. Deor. aliiq; multi. Dein perpendenda humani corporis pulchritudo, structura elegans, & partium commoda compages.

In partium cõsideratione, etiam minutissimæ

particulæ, quàm diligentißimè ſcrutandæ. Quare primò, qua ratione partes corporis extrinſecus occurrentes ſint nominandæ, oſtendẽdum venit: quod tractatus noſter de Partibus externis ſcriptus clarè demonſtrat, Dein ad internas partes accedendum, quæ licet variæ ac diuerſæ ſint, cùm diuerſas operationes, variosq́; motus edere debeant, omnia tamen, vt loquitur Hippocrates in corporis compage, quam ὁλομελίαν vocat, conſentiunt: partis cuiusq; particulæ ad eius actionem conſpirant, eáq; ſibi conſentiunt: hinc Hippocr. ξυῤῥοια μοία, ξυμπνοία μία, ξυμπάθεια πάντα. In famulatum & ſubſidium enim vnius operationes, conſpirant, vt habet Galenus 1. de vſu partium 8. ad particulas paruas, minimæ: ad minimas, omnium minimæ.

Quare duplices ſunt partes, aliæ Similares, aliæ Inſtrumentales. Harum verò natura cũ ex ſimilaribus dependeat, ſi Inſtrumẽtariarum, ſi item totius corporis natura innoteſcere debet, ſimilarium partium tractatio primò erit proponenda, qua de re aliâs: dein ad diſsimilarium ſeu Inſtrumentalium partium tractationem, quæ diſſectione maximè abſoluitur, accedendum.

At ſectio varijs modis inſtitui poteſt, vel à dignioribus exordimur, vt à cerebro, aut corde: vel ad ſitum partium reſpicimus, ita vt extimas primò ſecemus, dein intimas: vel ad vſum, quem toti corpori communẽ exhibent, tum ab oßibus, quæ corporis noſtri fulcra ſunt & fundamenta, vt habet Galen.

bet Galen. lib. de oßibus in Proœmio & 1. de administ. anatom. 3. exordiemur: vel deniq; ad diuturnitatẽ materiei respicimus, tumq; ab iis partibus, quæ citiùs putrescunt, incipimus: & sic ab infimo ventre, monente Gal. 5. de administ. anatom. 8. sectionẽ aggredimur, inde ad Thoracem: mox cerebrum: vltimo artus pertractamus, ita tamen, vt partes toti communes, quas continentes vocamus primò explicemus, vt sunt cuticula, cutis, pinguedo, & panniculus carnosus: inde, ad continentes proprias: tandem ad contentas accedamus. Et hunc posteriorem ordinem cũ Tyronibus accommodatißimum censeamus, in quorum gratiã hæc scribimus, eum etiam in hoc nostro libro seruabimus, cùm eandem etiàm tàm in publicis, quàm priuatis dissectionibus, obseruemus.

DE INSTRVMENTIS.

Ad sectionem autem certa requirũtur instrumenta, quorum quædam ad neceßitatem, quædã ad commoditatem requiruntur.

Ad neceßitatem, eiusmodi sunt culter, acus & filum.

Ad commoditatem, quo meliùs & expeditiùs sectio peragatur, expetũtur forcipes, stili, hamuli, scalpella, serra, malleolus, modiolus, terebra, spongia, calami, & eiusmodi, de quibus Vesalius capite vltimo libri primi suæ Anatomes.

DE VTILITATE.

Vtilitas, pro diuersitate hominũ diuersa etiã existit.

existit. In genere quidem cuiuslibet facultatis hominibus, qui eruditionis ac sapientiæ laudē affectant, vtilis est, cū veræ Scientiæ dux sit, & ad Dei Opt. Max. omnipotentiā & Iustitiam, quibus in cōstruendis & formandis corporibus vsus est, aditū præbeat, & ad ipsius cognitionē perducat. Dein, ad suimet ipsius cognitionem, hac arte quilibet adducitur: hoc enim præcipuum ad vitā rectè instituendam, vt quis seipsum noscat. Quare si quis Anatomen inspexerit, velut seipsum in speculo contemplari licebit.

In specie verò, Philosophis vtilis est, vt naturæ artificium in qualibet parte animalis expressum esse, demonstrare valeant, tamq; diuersorū motuum causas reddere queant.

Medicis verò, vt rectè partium corporis nostri morbos percurēt: ad hoc enim, singulas particulas cognitas habere oportet, quali nimirum substantia, qua magnitudine, qua figura & situ, quo numero præditæ sint, quamq; inter se compositionem & vsum habeant.

Ex dictis ergò patere arbitror, Anatomen artem insignem esse, inter præclaras artes recenseri debere, & inter Philosophiæ naturalis ancillas collocandam: & per consequens artem esse liberalem, Philosopho & Medico non solùm dignam, sed maximè etiam necessariam.

Hæc de Prolegomenis.

CASPA-

CASPARI BAVHINI BASIL. MEDICI ET ANATOMICI ORDIN. IN SVAM Anatomen humani corporis,

PRÆFATIO.



IPPOCRATES summus Medicinæ dictator, libro de Natura muliebri, id quod in homine est, diuinum quoddam numen existere monet: quare, qui de hominis partibus dicere intendit, eũ primum à DEO *ipso protoplaste, à quo omnia & sine quo nihil, principium sumere conuenit. Supplex ergô* DEVM *vnum & trinum, Hygiæ Panaceæq; parentem rogo, vt huic nostro principio adiutor & porrò protector esse velit.*

CORPVS humanum, quod varijs modis ab authorib. diuiditur, vt in lib. de Partib. externis à nobis edito fuit ostensum, nunc cũ Galeno lib. de Inæquali intemperie cap. primo in Ventres & Artus secabimus. Ventres, pro ratione facultatum, tres sunt: infimus, qui partium

tium est naturalium ABDOMEN dictus, de quo Libro primo: medius, partium vitaliũ domicilium THORAX, de quo Libro secundo: supremus, qui partes animales continet & CAPVT dicitur, de quo Libro tertio. Artus verò, qui melioris vitæ causa, diuinitus concessi sunt, in Manus & Pedes diuiduntur: de Manibus, in prima, Libri quarti parte: de Pedibus verò, in altera, eiusdem Libri parte, acturi sumus.

Exordium tractationis, vt & sectionis, cum Galeno quinto de Administratione Anatomica sexto, ab inferiore sumemus Ventre, ne dum medij, vel supremi ventris partes inquirimus, cadauer propter excrementa in Intestinis conclusa, fœtere ac putrescere incipiat, sicq; reliquarum partium sectio impediatur.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE PRIMO VENTRE Abdomine dicto.



ENTER inferior, eſt totum id quod ſub diaphragmate conſiſtit, enſiforme cartilagine, vtroq; latere & oſſibus pubis circumſcribitur, & tàm nutritionis, quàm generationis mēbra continet. Dicitur autem Græcis ἐπιγάστριον, quaſi ſuperficialis venter: Arabibus, Mirach: Plinio, ſumen: alijs, aluus & venter.


Partes habet quatuor, anteriorem, quę propriè Abdomen dicitur, cuique τοῦ ἐπιγαστρίου nomen competit: poſteriorem, quam Ariſtoteles 1. de hiſtoria animal. 15. ὄσφυες, lūbos vocauit: & partes laterales.


Propriè autem dictum Abdomē, Galenus in commentario 2. Aphoriſ. 35. in Hypochondrium, regionē vmbilici & partes ad pubem attingentes,

gentes, quas τὸ ἦτρον vocat, diuidit. Galenum secuti in partem superiorem, mediam & inferiorem diuidemus: qua de re cùm fusissimè in Anatomes nostræ libro primo, qui est de partibus totius humani corporis externis, capite decimo actũ sit, hic supersedebimus, cùm eum locum Lector consulere possit, & ad partes Abdomen constituentes, accedamus.

Partes Abdomen constituentes, sunt duplices: Continentes & contentæ. Continẽtes, aliæ communes, aliæ propriæ. Communes plerisq; sunt, Cuticula, Cutis, Pinguedo & Panniculus carnosus, his licet Musculorum tunicam addere: quibusdam tamen duplices sunt, Cutis nimirum & panniculus carnosus: pinguedinem enim & cuticulam, è partium numero excludunt: de his primùm: dein, de continentibus proprijs, Musculis nimirũ Abdominis, & Peritonæo: mox de contentis in hoc primo ventre. Quæ omnia Tabella adiecta, instar Indicis ꝓponit.

ABDO-





ABDO-



Fold Out

BACK PAGE





Fold Out
FRONT PAGE

DE CVTICVLA.
CAPVT PRIMVM.



VTICVLA, quæ ἐπιδερμις, quaſi ſumma cutis: eſt efflorescentia cutis, quæ tenuiſſimis ceparũ inuolucris reſpondens, cuti ſupernaſcitur.

Oritur autẽ, vt ex Galeno 3. Methodi medẽdi 5. patet, ex ſanguine: dum enim natura in Cutis productione, ſemini ſanguinem miſcet, ſubſtantia quædam floris inſtar effloreſcit, ita vt ſanguis hic effloreſcens in Cuticulam vertatur. Sunt tamen qui volunt, ab exhalatione humida quæ à corpore ad cutim aſcẽdit, naſci: hanc enim, vbi ad cutim peruenit, à frigore externo cõdenſari, eo modo quo in pulte ex vaporibus eleuatis, in ſummo pelliculam generari videmus. Hæc prorſus exſanguis eſt, ſenſusque Galeno 3. & 14. Meth. medendi expers: facilè etiam deperditur, facileque, cùm ex ſanguine fiat, regeneratur.

Vſus eſt: Cutis exquiſitum ſenſum attemperare & ipſius ſenſus tactus eſſe mediũ, cùm, vt habet Ariſtoteles 2. de Anima, textu 114. omnia per medium ſentiamus: ſed & cutim ab externis iniurijs tuetur. Fortè etiam ad vaſorum oſcula quæ tenuiſſimorũ filamentorũ inſtar ad cutim pertingunt cõtegenda comparata eſt, hac enim auulſa, è Venarum orificijs ſanguis profluit.

DE CVTE.

CAPVT II.

Cutis & panniculus carnoſus vtcunque figura 20. libri 5. apud Veſalium iuxta r. ſ. t. exprimitur, dein in 25. figura eiuſdem libri, iuxta dextram mamillam.

CVTIS, Grecis δέρας, ἀπὸ τοῦ δέρεσθαι, eò quòd excoriari poſſit: alijs δέρμα quaſi δέρα, vinculũ colligans corpus noſtrum. Eſt autẽ omnium corporis partium, Galeno de cauſis morborũ, natiuum tegumentum, munimentum & ornamentum.

Oritur ex ſanguine cum ſemine probè mixto, Galeno 1. Temperament,

ment.vltimo,& 3.Method.med.5.

Subſtantia donatur alba, craſſa, munimenti gratia; molli, ſenſu prædita, vt eſſet totius corporis tactus inſtrumẽtum: licet Philoſophus, 3. de hiſtor. anim. 11. cutim ſenſu carere dixerit.

Differentiæ, quod alia faciliùs, alia difficiliùs, aut nunquam, à ſubiectis partibus ſeparari poteſt: vt ea quæ in vola manus, planta pedis, in facie & fronte eſt, vix remoueri poteſt.

Poroſa eſt, partibus cui innitimur exceptis, quo tertiæ concoctionis excrementa, vapores, fuliginéſue, ſudores repurgari: piliq; geniti pertranſire poſſint. Et hæc fortè ratio, cur Plato in Timæo, cutim naſſiculæ qua piſces capiuntur aſſimilarit.

Contextu cõtinuatur perpetuo, niſi vbi meatibus naturalibus datur exitus, videlicet: vnguibus, aure, oculis, nare, podice, mentula & ore. His addamus Mammarum in vtroque ſexu foramina, vterum & in fœtu vmbilicum.

Vaſa trium generũ ad Cutim feruntur, Venæ, Arteriæ & Nerui, quæ Galenus 1. de Semine 5. organa cõmunia vocat. Venæ, quæ cutaneæ dicuntur, eleganter figura 1. & 2. libri ſecundi in Plantianis iconibus expreſſæ. Sex autem ſunt: duæ iugulares, quæ per caput & collum ferũtur: duæ quæ ab axillis deſcendunt, per vtrumque brachium latæ & per thoracem ac dorſum diſſeminatæ: duæ tandem ab inguinibus, per totos pedes, lumborumq́ue regionem: ita tamen, vt dextræ cum ſiniſtris, ſuperiores cum inferioribus iungantur, de quibus in progreſſu. Arteriæ ab inguinibus ortæ, minus manifeſtè per cutim diſſeminantur. Nerui verò à muſculorum membranis, in varios ramos, ſed inæquali ſerie, diſſeminantur: ad faciem verò, brachia, manus, crura & pedes, certa ſerie exporriguntur: maximè verò circa papillas vtriuſque ſexus nerui duo maximi, ligamenta æmulantes, conſpiciuntur.

Vſus, à nimio calore, frigoréue corpus

corpus defendere: & caloris innati nimium effluxum, prohibere.

DE PINGVEDINE. CAPVT III.

PINGVEDO quæ πιμελὴ, inter cutim & panniculũ carnoſum, quaſi ſtratum vaſorum quæ ad cutim abeunt, ſternitur. Cuius materia eſt tenuior ſanguinis pars, ex venis quæ inter cutim & panniculum feruntur, reſudans, vel emanãs, qui caloris inopia, membranarumq́ue frigiditate, in pinguedinẽ coaleſcit, albumq́ue membranæ colorem contrahit.

Pinguedinem ſeu πιμελὴ, & τὸ ςέαρ, id eſt, adipem ſeu ſebũ differre, Galenus 11. ſimplic. medic. & 3. de facult. Aliment. 11. oſtendit his verbis: adeps craſſior eſt, ac propterea animantibus totam naturam terreſtriorem habentibus adeps prouenit, velut humidioribus, pinguedo. Proinde, pinguedo celeriter, in ignẽ poſita, liqueſcit: nec facilè vbi liquata fuerit, rurſum concreſcit ac cogitur.

tur. At adeps, nec facilè funditur liquescit'ue, & fusus, celerrimè coit ac conglaciatur, multoque apparet pinguedine durior. Aristoteles 3. de histor. animal. 17. πιμελῆ, id est, pinguedinē (quod malè Gaza adipem vertit) inter carnem cutemque consistere: τὸ στέαρ, id est, adipem seu sebū verò, in fine carnis semper esse statuit: quo loci etiam plura, in eam rem addit.

Pro partium diuersitate Pinguedo variat: quæ enim partibus quibus innitimur apposita, durior est altera: hoc adhuc durior, Galeno 13. de vsu part. quæ partibus valentius mouendis intersita est, nunc sola, nunc cum humore crasso & lento (qui adipis munus explet) ad partes ad motum aptiores reddendas, earumq; exsiccationē prohibendā.

Hac vt partes, ita & ætates aliquę destituuntur: partes enim quibus noxia, vel inutilis esse potuit, ea destituuntur, vt scrotū, ligamenta, &c. & hæc est ratio, cur à quibusdam à continentium numero excludatur.

Sic

Sic in modò natis, nulla: in consumptis, vel fame, vel morbo, vel ætate, aut nulla, aut pauca reperitur: sic Galenus 14. de Vsu part. mulierẽ viro obesiorem dicit.

Vsus, calorem natiuum fouere: dein cibi vice in inedijs maximis fungi: tum partes tueri, vt in clunibus fit: tandẽ membranas à frigore externo munire.

DE PANNICVLO Carnoso.

CAPVT IV.

Huc facit libri secundi tabula tertia.

PANNICVLVS carnosus Auicennæ, Græcis ὑμὴν σαρκώδης: ὑμὴν, quia membranam referat: σαρκώδης, quia inter membranas sola sit carnea: hinc Galeno 1. & 3. administrat. anatomicæ, Musculus membraneus dicitur. Est autẽ membrana cuti toti & pinguedini subjecta, quæ vniuersum corpus ambit.

Oritur, vel adhæret dorso membraneus quasi, vnde ad axillas progrediens carnosior, quàm alijs in

partibus obſeruatur, fibris ſub axil-
lis, tendinũ inſtar ad muſculos tàm
brachij quàm thoracis, miſſis.

Differentiæ, quod in modo natis
ſubſtãtiam & colorẽ carnis habeãt,
notabiliq; donetur craſſitie: in adul-
tis verò, cùm indies exſiccetur, mẽ-
braneus redditur & anteriore colli
(Γ) parte ac fronte (*A*) muſculoſus ef-
ficitur. Hæc in homine, excepta frõ-
te, immobilis: in animantibus verò,
quibus cutis mobilis vt equis, mo-
bilis etiam redditur. Sic Elephantẽ
cutis corrugatione muſcas interfi-
cere, aſſerunt.

Cuti, mediantibus vaſis, fortiter:
membranæ verò ſubiectæ, per vil-
los ſolùm tenuiores, hæret.

Vſus: vt vaſa quæ ad cutim ab-
eunt fulciat, Galeno 3. admin. anat.
dein, vt cute læſa, hoc mediante re-
ctius conſolidari poſſit: tum, vt pro-
hibeat ne pinguedo à motu mu-
ſculorum & calore con-
tinuo, abſuma-
tur.

DE

DE MEMBRANA Musculos inuestiente.
CAPVT. V.

MEMBRANA succedit altera, quę non solũ Musculos inuestit, sed & separat, ideo Membranã musculorũ propriã dicimus cũ Galeno 7. de administrat. anato. 2. quę aliarum membranarũ instar tenuis & neruosa est.

Galenus 6. de administ. anatom. 11. differentiam inter Membranam quæ ὑμὴν & Tunicam quæ χιτὼν ostendit: quod enim extrinsecus partes ambit, Membrana dicitur: vasorum verò corpora, propriè Tunicæ vocantur: vel membrana dicitur, vt habetur 7. de administ. anatom. 2. ab essentia: tunica verò, ab vsu. Nos tamẽ secuti Galenũ & Anatomicos, indifferenter his vocibus vtemur.

Hæc à periostio, vel potius musculorum fibris neruosis, originem ducit & mediantibus tenuissimis filamentis, musculis annectitur.

Vsus: musculos cõseruare, & à se inuicem separare.

DE PARTIBVS CONTINENTIBUS propriis, & primùm DE MVSCVLIS DEcem Abdominis.

CAPVT VI.

Ad horum intellectum faciunt libri secundi, tabulæ sequentes prima, 2.3.4.5.6. 9.& 12. Sic & libri quinti, figura prima.

ABDOMINIS musculi, Galeno & plerisque Anatomicis octo statuuntur, quibus à fibrarum ductu nomina fuêre imposita: his duo Pyramidales accedunt, quorũ quinq; dextræ, quinq; sinistræ sunt partis, de quibus ordine.

Tab.3.lib.2. Obliqui descendẽtes primi sunt, & inter abdominis musculos maximi Galeno de dissect. muscul. 26. (3.O.40.9.P.) à fibris obliquè descẽdentibus nominati.

Originem ducunt à septẽ costis inferioribus.(*charact.6.7.8.& 1.tab. P.P.2.tab.p.p.p.*) antequam in cartilaginem desinant carnoso & à mẽbrana è ligamentis vertebrarũ lumborum enata & dimidia ossis Ilij appendi-

pendice membranoſo principio, qui inter fines(1.*tab.O O.*2.*tab.o.o.o.o.*) ſecundi muſculi thoracis, ſerrati maioris dicti, ceu digitis quibuſdã ingrediuntur. Finiunt in medio vẽtre tendine ſuo membranoſo ad lineam candidam (4.*tab.p.q.*) ad oſſis verò Ilij ſummitatem carnei, pubis verò regione neruoſi, implantãtur.

Linea autem alba (*ab R.ad X. & figur.*1.*lib.*5.*E E.*) nil aliud eſt, quàm tendinum muſculorum abdominis concurſus, à mucronata cartilagine, ad oſſium pubis commiſſurã procedens. Alba eſt, propter Peritonæum, quod ſolùm ſubiacet.

Obliqui aſcendẽtes. (4.11.5.*tab.α*) Tab.4.lib.2. ꝑpter obliquũ fibrarũ aſcenſum, q̃ deſcẽdentib.fibris ſubiacẽt, ita vt ad ſimilitudinẽ X. ſe interſecent, dicti.

Oriuntur ab appendice oſſis Ilij & membrana quæ à ligamentis vertebrarum lumborum enata eſt & oſſe ſacro, initio membranam imitante, ſurſum carnoſi quatuor inferioribus coſtis nectuntur. Finiunt duplici tendine (quod his peculiare
eſt)

eſt)membranoſo, ad lineam albam anteriore abdominis parte : quorũ alter,rectum muſculum : alter verò, infrà ipſum fertur, ita vt hiſce tendinibus muſculus contineatur.

Quatuor hi muſculi, Venas & Arterias, habent à Muſcula dicta, de quibus infrà. Neruos verò, ab extremis Thoracis vertebris ortos & iuxta fibrarum ductus, inſertos. Horũ muſculorũ proprius vſus, ex ſitu & fibrarum genere deſumitur: hi enim cum coſtis, oſſique ileo adhęreant, aut motui & attractioni oſſis ſunt deſtinati, aut coſtarum depreſſioni & eleuationi. At os eſt immobile. Ergo, coſtarum motui & exſpirationi violentę, inſeruiunt: & cum quilibet trahat verſus ſuum principium, conſtat alterum par Muſculorum, quod ab oſſe ortũ ducit, coſtas deprimere: alterum verò, quod à coſtis proceſſit, eas eleuare.

Tab.5.lib.2. Pyramidales ſequuntur (*tab.5.n.*) quorum primus Maſſa meminit: ſuccẽturiati Syluio: alijs Fallopiani: nobis verò à forma Pyramidales, qui tamen

tamen non ſemper inueniuntur,& tum ijs deficientibus, eorum locũ adeps ſubit, vel caro tendinibus rectorum coniuncta videtur.

Oriuntur (ſi adſint, adeſſe hactenus animaduerti) ab oſſe pubis externo, principio carnoſo, qui rectorum muſculorum tendines conſcẽdentes, pyramidis inſtar coniuncti, ſuo tendine in lineam albam, infra vltimam aponeuroſin ſeu interſectionem, inſeruntur. Hos Veſalius & Columbus intellexêre, dum rectorum muſculorum principium aliud carnoſum eſſe, dixêre.

Vſus horum videtur, vt rectorum muſculorum tendinibus robur addant: ſeu vt Fallopius, vt veſicã dum leuiter mingimus, leuiter comprimant, quod Galenus de diſſectione muſcul. 26. inferiori rectorum parti, tribuit.

Recti muſculi ſeu longi his ſuccedunt (5. Δ *literis r & o circumſcripti. 4. tab. n. 6. tab. f.*) ob fibras quas obtinent rectas, ſic dicti. *Tab. 5, lib. 2.*

Originem ducunt ex Galeni 6.

Meth,

Meth. med. 5. de adminiſt. anatom. 6. & 5. de vſu partium 14. & plurimorum ſententia à ſterno: alijs verò & rectè ab oſſe pubis antico parte ſuperiore, principio neruoſo (quod Veſalius (*o*) inferius, Columbus verò neruoſum principium vocat) qui mox carnoſi redditi, abdomen conſcendentes carnoſi ad cartilaginis mucronatę, & pectoris latera (*r & 4. tab. n.*) ac cartilagines inferiorũ coſtarum terminantur: in canibus verò ad ſupremã ferè coſtam (*ab r ad t.*) membranoſo tendine (*t.*) pectori annectuntur. Hi infra & circa vmbilicum, Galeno etiam 1. de adminiſt. anatom. 4. monente, ſibi mutuo ita adiacent (*p ad q.*) vt coaleſcere videantur: quantò verò ſupra vmbilicũ altius (*à q ſurſum.*) conſcendunt, tantò magis ſeiunguntur.

Tres, rarius quatuor, tranſuerſas aponeuroſes, neruoſas'ue interſectiones (*u. u. u.*) albas habent quæ membranę ſunt ſolidę & firmę quarum vna ſub vmbilico, duæ verò ſupra conſiſtunt, quæ natura ad horũ muſcu-

musculorum robur fabricata est, cũ validis ac frequentibus actionibus sint præfecti, potissimum in deprimendo Thorace & violenta exspiratione: sicut videmus in filo quod plurimis internodijs interiectis, nõ ita facilè rumpitur, ac id quod ijs destituitur. Dein etiam obliquorũ tendinibus validè connectendis, magno sunt vsui, vt simul omnes agendo, in vnum conueniant.

Vasa etiã obtinuêre: Venas, à venæ cauæ in inguinibus diuaricatione, quæ Epigastrica, à qua etiam venæ ad vteri ceruicem mittũtur, & à pubis osse emersæ, sub musculis his sursum feruntur, & circa vmbilicũ cum Mammarijs internis, quod etiã alijs ramis extrinsecus fit, per anastomoses coniunguntur (*ascendentes tàm venæ quàm arteriæ lib. 5. fig. 1. I. tab. 6. muscul. e: descendentes verò, à, f. & lib. 5. fig. 1. K. denotat.*) per quas sanguis ab vtero ad Mammas defertur, lacteque in mammis existente, mẽses fluere vt plurimũ desinunt, quare, has Venas recurrentes, seu potius

tius Venas mammarias aſcenden-
tes, appellare lubet. Harum etiam
beneficio, magnus inter externas
abdominis partes & nares conſen-
ſus, quarum ope ſanguinis fluxio ſi-
ſtitur, ſi Hippocrate monẽte, dextra
nare fluẽte, dextro hypochondrio,
& viceuerſa, Cucurbitula affigatur.
Venæ, comites habent Arterias, à
magna vaſorum crura adeuntium
diſtributione (*arteriarum tabula τ.*)
quæ non ſecus quàm Venæ, cũ Ar-
terijs mammarijs coniunguntur.
Neruos aliquando quatuor, maxi-
mè circa ipſorum medium, qui ab
ijſdem ramis, à quibus & ad alios
muſculos mittuntur, prodeunt. Hi
cùm fibris rectis ſint donati, cõſen-
taneum eſt eos attractioni thoracis
eſſe ordinatos, & ſic proprium eorũ
vſum eſſe, vt exſpirationi inſeruiant,
ad quem etiã vſum aponeuroſes ac-
cepiſſe videtur, quod ex eo patet, cũ
plures in parte ſuperiore appareant.
Tab.6.lib.2. Tranſuerſi muſculi (*6.Δ. 5. tab.y.*
12.tab.p.) vltimo occurrũt, ob fibras
quæ ſecundum latitudinem tranſ-
uerſæ

uerſæ feruntur, dicti.

Oriuntur ab interioribus notharum coſtarũ finibus, & à membrana è lumborum ligamentis enata, neruoſi: dein carnoſi redditi vbi Ilia inueſtiêre, & ad exterius recti muſculi latus verſus abdominis mediũ (*6. tab. b.*) peruenêre, tendine lato membraneo reliquum abdomen tegentes, ad os pubis, cartilaginem enſi formem & lineam albam progrediuntur, adeoque tendine ſuo peritonæo contumaciter adherent, vt Oribaſius de diſſectione muſcul. 48. dicat, fuiſſe qui exiſtimarint corpus ex his muſculis & peritonæo compoſitũ eſſe. Vaſa, vt & obliqui quatuor, ex ijſdem locis exorta, obtinuêre. Horum vt & obliquorum tendines, propè os pubis vbi vaſa ſeminaria deſcendunt & eiaculatoria aſcendunt, perforantur.

Horum proprius vſus, vt colori inteſtinum cui ſuperiacent comprimant, quod ſitus fibrarum tranſuerſus oſtendit.

Muſculorum horum (quorũ ſub-

ſtãtia partim carnea, partim mũbra noſa, vt ad motum firmiores eſſent.

Muſculorũ horũ vſus cõmunis, pręterquã quod propugnaculi loco à natura fabricati ſint, & vt omnia q̃ in vẽtre ſunt, detineãt, corporiq́; calefaciendo opitulẽtur: vnà tamen in ſe collecti & verſus ſua principia cõtracti, abdomẽ ad excrementorũ tàm fæcum quàm vrinę & etiam fœtus expulſionem, à diaphragmate adiuti, comprimunt. Sed & hypochondria conſtringendo, dum coſtas deorſum trahunt Thoracis motibus, potiſſimùm in vehementiori reſpiratione, præſunt. Verùm, horum motus, aliorum muſculorum motui, contrarius eſt: alij enim, propter oſſa ad quæ impingerent, extrà flectuntur: abdominis verò, cùm ſubiecta mollia ſint, in contractione eius, intrò curuantur.

DE PERITONÆO.
CAPVT VII.

Libri quinti figura prima & ſecunda huc referendæ, ſic & libri ſecundi tabula ſeptima.

PERITONAEVM, vltimum abdominis tegumentum, ἀπὸ τοῦ περιτείνεσθαι quòd circumtendi ſignificat, eò quòd omnibus tàm viſceribus, quàm partibus inferioris ventris circumtendatur, Galeno dicitur. Arabibus, Ziphac, quibuſdam Abdominis membrana.

Eſt autem membrana tenuis, ne pondere ſit moleſta, latis aranearũ telis ſimillima: firmiſſima, ne extenſione, aut retento ſpiritu, diſrumpatur: & vt viſcera flatibus diſtenta reprimat cum diaphragmate excrementorũ expulſioni inſeruiat: nullis fibris, quo ad interiorem ſedem, intertexta: cæteris membranis ſimplicibus ampliſſima, toti ventri circumtenſa (*figura prima A A. B. C. D. diſſecti peritonæi partes quatuor: figura 2. A. B. C. D. in poſteriora reflexi*

ostendit.) & inter musculos ac intestina media.

Oritur ex ligamentis, quæ lumborum vertebras & sacrum os Ilij ossibus committunt, Vesalio: à mesenterio Fallopio: alijs à vertebrarũ lumborum periosteo. Figura donatur circulari, vel ouali.

Duplex est vbique, cuius pars exterior fibrosa & aspera vt musculis aptius hæreat firmiterque retineat: interior verò, ob leuitatem intestinorũ, & ne viscera politissima asperitate offenderet, leuis est: nec eadẽ omnibus crassitie obtenditur, in Iecore & Liene tenuissima, magis in renibus: crassius in ventriculo, intestinis, vesica & vtero. Crassius & validius etiam circa ipsius exortum, quia in multas partes diuidi debuit. Tenuius verò, monente etiam Celso, circa inguina: vnde tàm in viris, quàm in mulieribus, his quidem sępius ex pondere vteri, Herniæ contingunt.

Foraminibus, ad vasorum transmissionẽ donatur, non autem laxo orificio,

orificio, verùm proximè vasis circũnato, vt etiam membranam qua circumdantur, illis offerat. Primũ tria ostendit foramina, cum diaphragmate communia, & primũ ad dextram, ad venæ cauæ (*f*) transitum: alterum ad sinistram, quo (*r*) stomachum: tertium, quo magnam arteriam (*q*) cum nerui sexti paris (si non potius diuisionis nomen mereatur) iuxta lumbos deducit. Dein vasa vmbilicalia, duplicato peritonæo (2.*fig.E.*) permeant. Tum productiones duas (Didymos veteribus vocatos) quibus exactissimè peritonęum in hominibus connascitur (1.*fig.G. H.&* 22.*fig.* Φ Φ.) efficit, inter quas vasa spermatica descẽdunt, & eodẽ rursum, ad vesicę collum, recurrunt. Quibus dilatatis, in scrotum, aut inguina, illabitur vel intestinum, vnde ἐντεροκήλη: vel omentum, tum ἐπιπλοκήλη: vel vtrumque & sic fiet ἐντεροεπιπλοκήλη. Sed etiam ceruicis vesicæ & vteri, podicisq; nomine perforatur. Tandem, venis, arterijs & neruis, crus & musculos abdominis pu-

Lib.2.tab.7.

Lib.5.

tentibus, iter præbet.

Venas & arterias (1.*fig.L.*) à lumbaribus aliquando & à vena seminali surculos(22.*&* 23.*β.*)habet,qui in peritonæi latera excurrunt. Neruorum surculos exiguos, à lumborum neruis, recipit.

Vsus peritonęi est,vt partes in abdomine contentas obtegat; contētas,à continentibus discernat: omnibus peculiarem tunicam impertiat, ligamenta varia ex se producat, eaque omnia contineat, firmet & colliget.

DE PARTIBVS IN Abdomine contentis.

CAPVT IIX.

PARTES in Abdomine contentæ,aliæ fœtus propriæ, aliæ iam vtero exclusi. Fœtus propriæ sunt vasa vmbilicalia dicta, & Membranæ vasa sunt, vena vmbilicalis & arteriæ duæ vmbilicales, de quibus nunc, Membranæ duæ fœtum inuestientes,Secundina & Amnios, de his in vteri historia. Partes hominis

nis vtero exclusi, aliæ ad Nutritionem, aliæ ad Generis propagationem faciunt.

Nutritionis partes aliæ ad Chylificationem, aliæ ad Sanguificationem pertinent. Quę ad chylificationem, aliæ chylum conficiunt, ventriculus, aliæ, adiuuant, omentum & pancreas: aliæ chylum eiusq; excrementa educunt, Intestina, quæ duplicia, Tenuia & Crassa: Tenuia, duodenum, ieiunum & ileon. Crassa, cæcum, colon & rectum, quę Mesenterio connectuntur. Quę ad sanguificationem faciunt, aliæ sanguinem conficiunt, venæ, quæ in duos truncos diuiduntur, Portam & cauam: aliæ eius confectionem adiuuant, hepatis parenchyma: alia denique eius excrementa educũt, vel enim gignitur bilis flaua, quam Vesica bilaria: vel bilis atra, quam Lien: vel serum sanguinis, quod Renes, qui duo recipiunt, à quibus per vreteres duos, vrina fertur in Vesicam vrinariam & per Penem eijcitur.

Ad generis propagationem faci-

entes partes, duplices ſunt, viriles & Muliebres. Viriles, alię materiam ſeminis deferunt & ſunt vaſa ſpermatica: aliæ materiam elaborant, corpus varicoſum & Teſtes: aliæ ſemen recipiunt, Proſtatę & Veſiculę ſeminariæ: aliæ deniq; ſemen eiaculantur, vaſa eiaculatoria & Penis. Muliebres aliæ etiam materiam ſeminis deferunt, vaſa ſpermatica: alia elaborant, corpus varicoſum & Teſtes: alia eiaculantur, vaſa eiaculatoria: alia denique vtriuſq; ſemen recipiunt, vterus. Sed de his omnibus ſingillatim.

DE VASIS VMBIlicalibus.

CAPVT IX.

Horum intellectum iuuant libri quinti, figura ſecunda, tertia & ſexta.

VMBILICVS, nil aliud eſt quã vaſorum vmbilicalium, per quæ alitur infans, ſegmentum: ῥίζα γαστρὸς Ariſtoteli 1. de hiſtoria anim. 13. corporis noſtri, ſi brachijs extẽſis circulũ dimetiamur, centrũ.

Sunt

Sunt autem vasa vmbilicalia duplicia, vena vna (*F. G.*) Arteriæ duæ (*K.L.*) Vrachus enim (*M.*) in brutis tantùm, non autem in humano fœtu ostendi potest.

Oriuntur autem ex communi Anatomicorũ sententia, ab Vteri venis, arterijsq́;. Venę quidẽ, q̃ aliquãdo vna, aliquando gemina, ex varijs vteri fundũ petẽtibus venis à seminarijs ortis, quæ sub Peritonæo sursum(*F.*)versus iecur exporrigitur, ac in propriam rimã (*S.*) in iecoris cauo iuxta venam portam eiusq́ue ramum inseritur.

Arteriæ verò duæ, ab arterijs Vteri, quæ à seminalibus ortæ, generantur, quæ Peritonæum subingressæ.(*K.L.fig.6.e.f.*) ad vesicæ latera delatæ in magnæ arteriæ propagines, circa pubis regionem (*Arteriarum tab.ρ.*)ita communes fiunt, ac si ipsis inde origo foret.

Vrachus tandem(*M.fig.6.g.*)à fundo Vesicæ(*N.*)enatus, inter vtramq; arteriam progrediens, vmbilico excidit, vrinamq́ue(vnde οὐραχὸς nomẽ)

inter duo fœtus inuolucra, Amnion & Allantoin, defert.

Altera opinio est Arantij, Venam nimirum vmbilicalem ramum esse insignem trunci Venæ portæ, ab eo cùm è cauo iecoris (*G.*) prodit, originem ducat insignis venæ meseraicæ instar, quæ per iocinoris cauum sibi exsculptum, descendens, interiori superficiei peritonæi (*F.*) innitatur, donec vmbilici sedem attigerit.

Arteriæ autem duæ Arantio, ex bifurcatione Arteriæ magnæ (*Arteri. tab. p.*) iuxta ossis sacri elatiorem partem ortæ, circa vesicæ latera cui adhærent reflexæ, ad ipsius Vesicæ fundum peritonæo alligātur, cumque ad vmbilicum peruenêre (*K.L.*) acutū angulum efformantes, coniunguntur, & cum vena per vmbilicum elabuntur.

Quid verò nobis de Vasorū vmbilicalium origine videatur, paucis subijciamus. Vnamquamq; partem ex sibi proportionata materia produci dicimus: venas quidem & Arterias omnium partium primas ex semine

ſemine ante ipſa etiā viſcera efformari ab Hippocrate, libro de Carnibus: à Galeno, libro de Firmatione fœtus 2, 3. & 4. 1. de ſemine 13. rationibus itē & autopſia edocti ſtatuimus. Cùm enim parenchymata, Hepar nimirum & cor partes ſint ſanguineæ, ex ijs partes ſpermaticæ ortum ducere non poterunt. Dein ad partium fœtus generationem & ſanguine & ſpiritu opus fuit, quæ cū per venas & arterias vmbilicales ſubminiſtrētur, illas primo genitas eſſe oportet. Quare venam Vmbilicalem, venarum omnium primam & Venæ portæ radicem, non autem Portam ex hepate oriri ſtatuimus: quod accurata venarum ab Hepatis parenchymate ſeparatio ad ſenſum cōprobabit. Hepar em̄ ex ſanguine per venas vmbilicales delato, ſicuti per arterias ad magnæ arteriæ truncos iuxta os ſacrum pertingentes ex ſanguine calidiſſimo & ſpirituoſo, Cor tanquam ex materia proportionata efformatur.

Hęc ab Vmbilico egreſſa, Vena aliquam

quando indiuiſa, aliquando gemina, ſimul cum duabus Arterijs mẽbrana quod inteſtinulũ vocant obvoluta, per vlnarum aliquot longitudinem producuntur: ita tamen vt vena varicũ inſtar contorqueatur, fortè ad ſanguinis fœtus alimẽti elaborationem. Arteriæ verò, cũ ſpiritum vitalem pro fœtus vita deferant, rectæ feruntur. Hæc ad membranam ſecundinam delata, ramos magnos per eam diſpergunt, minoresque ad exteriorem partẽ ad placentam, ſeu Hepar vterinum tranſeunt, plexumque quaſi reticularem efformant, donec in tenuiſſima capillamenta abeant, quo ſanguinem, ſpiritumque inde eliciant. Nunc ad Vrachum, de quo ex Arantij, noſtraque ſententia paucis.

Vrachus in brutis, vnà cum vena inter binas arterias, à fundo veſicæ Vreteris inſtar enatus, progreditur & per vmbilicum longius egreſſus, in duo quaſi inteſtina, Veſicarum inſtar expanditur, Allantoinq; tunicam, in qua vrina colligitur, conſtituunt.

tuunt. In homine verò, à fundo Vesicæ funiculus Vrachi effigie exortus, inter duas arterias abiens reperitur quidem, ſed nullo modo peruius eſt, ita vt ne tenuiſſimã acum; in brutis tamen, facilè ſpecillum, admittat. Quare nil aliud in homine eſt, id quod Vrachum vocant, quàm Veſicæ ligamẽtum, quod in tenuiſſimũ atq; vix conſpicuũ filamẽtum abit, peritonæoque non excidit: cuius beneficio Veſica peritonæo cõnectitur.

Tandem Vaſa hæc fœtu excluſo, abſcinduntur, inuoluuntur, vmbilicumque conſtituunt & ne prorſus inutilia ſint corpori, in funiculos abeunt. Venæ enim quicquid in corpore remanſit in ligamentum Hepatis abit: arterię quinetiam ligamentorum munere funguntur.

DE

DE OMENTO.

CAPVT X.

Hoc capite proposita, declarant, libri quinti figuræ, potissimùm secunda, tertia, quarta & quinta.

OMENTVM quasi operimentũ (*fig.* 2. Q Q Q Q.) Græcis ἐπίπλοον, quod scilicet Ventriculi fundo cui adhæret & intestinis incumbat & quasi supernatet: sic propter errabundum, vasorum funiculi instar ductum γαγγαμὼν καὶ σαγήνη, Rete & reticulum. Arabibus Zirbus dicitur.

Est autem membrana simplex, nullis fibris donata, sed multis venis à porta: arterijs, à lumbari: neruisque à costali implicita: tenuis & leuis, ne suo pondere Intestina grauet, marsupio aucupario similis (*vt ostendit lib.* 5. *fig.* 4. *& ex parte fig.* 5.)

Oritur ex Galeni, 4. Vsu partium 11. sententia circa dorsum (*fig.* 4. *e e e.*) ad duodecimam thoracis vertebram. Sub gibbosissima ventriculi parte ex duabus tunicis à Peritonæo or-

næo ortis: quare à quibusdam nihil aliud est quàm duplicatum peritonæum, cuius substãtia partim membranosa (4. *fig. h.*) partim adiposa (4. *fig. k.*) vt partium quibus adhæret, calorem augeat & tueatur.

Duabus clauditur tenuibus mẽbranis, quarum vna superior anterior'ue, quæ exteriori fundi Ventriculi tunicæ adnascitur, & ala superior dicitur (3. *fig. a. a.* 4. *fig. fff.* 5. *fig. IIII.*) altera verò inferior posterior'ue. Colo alligatur (3. *fig. cccc.* 4. *fig. ggg.* 5. *fig. A. A. B. C. D. HHH.*) alaque dicitur inferior, ratione cuius colon ventriculo adnectitur. Maximum inter animalia homines & simię obtinent: in ijs verò qui venationibus ac cursibus gaudent, membranæ simile existit.

Situs ipsius est, vt aliquando tota intestina, quorum etiam anfractus ingreditur: aliquando solùm eorum partem integat: aliquando verò ad pubem descendit, interque Vterum & Vesicam collabitur, & tum Vteri ceruicem comprimendo conceptũ


ex Hippocratis 5. aphor. 46. sententia, impedit: sæpè etiam mulieribus post partum colligitur & circa ventris medium remanet: ita vt non læues sæpiùs dolores perferant.

Vsus: primū vt ramos Venæ portæ, & Arteriæ cæliacæ (quæ quoad ramorum distributionē, Venæ portæ similis) in Ventriculum, lienem, duodenum & colon exporrectas fulciat. Dein vt concoctionem adiuuet, ac per inediam natiuo calori, vt loquitur Galenus 4. de vsu part. 11. alimentum suggerat: quod exemplo militis cui ob exsectione omentum puluinari ad feliciorem concoctionem opus erat. Galenus 5. de locis affectis, comprobat.

DE VENA PORTA, eiusque ramis.

CAPVT XI.


Ad


Ramos
Inferiores
Sinister vel splenicus F aliæ
ante diuisionem, harũ aliæ
riori
Gastrica maior huius
N
K.
Ramus primus O.O.
2. Coronaria stomachica. Q.
3. ramus. R.
partim à superiori, partim inferiore
Pancreeæ M.
ab inferiore
Epiplois dextra
L.L.
Epiplois postica
S.
post diuisionem ex ramo
Superiori T.
Vas breue
X.
Ramulus alius ad ventriculũ
Y.
Ramuli reliqui in splenem
a a a a
inferio-
Epiplois sinistra
V.

QVEMADMODVM à Terra arborũ radices, ſic ab Hepate vaſa duo, ex Anatomicorũ ſententia originẽ ducũt, per quæ toti corpori alimentũ ſubminiſtratur: alterũ quidem ex conuexa & gibba ipſius parte: alterum verò ex ſima & caua: illud Venam cauam, hoc verò Venam portam vocitantes. Dicimus autem ἀναλογικῶς cum Venis fieri, quod cum radicibus arborũ. Quemadmodum enim ex nucleo ſemine'ue, radix oblonga in terram deſcendens oritur, ex qua dein aliæ in latitudinem ſe diffundentes originem ducunt, ex quibus dein truncus & rami oboriuntur. Sic Venam vmbilicalem, Venarũ primam eſſe dicimus, cùm alimentum pro nutritione generandarum partium deferre debuerit, ex qua dein tanquam radice, Vena porta originem ducit, tũc in Hepate vaſa vnica, unà cum Venis cauæ, truncum conſtituunt, ex qua dein rami per totum corpus diſſeminantur.

Quare Venas primò genitas, de-

Ad tabulam VESALII instituta diuisio, quæ lib. 3. cap. 5. habetur.



VENA PORTA diuiditur in
- Truncũ B
  - Cystica gemella } C. C.
  - Gastrica dextra } D.
- Ramos
  - Superiores, quos Anatomici Radices vocant } A. A. A. A. A.
  - Inferiores
    - Dexter G
      - Gastroepiplois dextra } H.
      - Intestinalis } I.
      - Mesentericus
        - Hæmorroidalis interna } d. d.
        - Mesentericus
          - sinister } b
          - dexter } bb
          - } & hæ Meseraicas constituunt. h
    - Sinister vel splenicus F aliæ
      - ante diuisionem, harũ aliæ
        - à superiori
          - Gastrica minor & sinistra } K.
          - Gastrica maior huius } N
            - Ramus primus O. O.
            - 2. Coronaria stomachica. Q.
            - 3. ramus. R.
        - partim à superiori, partim inferiore
          - Pancreeæ M.
        - ab inferiore
          - Epiplois dextra } L. L.
          - Epiplois postica } S.
      - post diuisionem ex ramo
        - Superiori T.
          - Vas breue } X.
          - Ramulus alius ad ventriculũ } Y.
          - Ramuli reliqui in splenem } a a a a
        - inferio-
          - Epiplois sinistra } V.

Quemad-

QVEMADMODVM à Terra arborũ radices, ſic ab Hepate vaſa duo, ex Anatomicorũ ſententia originẽ ducũt, per quæ toti corpori alimentũ ſubminiſtratur: alterũ quidem ex conuexa & gibba ipſius parte: alterum verò ex ſima & caua: illud Venam cauam, hoc verò Venam portam vocitantes. Dicimus autem ἀναλογικῶς cum Venis fieri, quod cum radicibus arborũ. Quẽadmodum enim ex nucleo ſemine'ue, radix oblonga in terram deſcendens oritur, ex qua dein aliæ in latitudinem ſe diffundentes originem ducunt, ex quibus dein truncus & rami oboriuntur. Sic Venam vmbilicalem, Venarũ primam eſſe dicimus, cùm alimentum pro nutritione generandarum partium deferre debuerit, ex qua dein tanquam radice, Vena porta originem ducit, tũc in Hepate vaſa vnica, unà cum Venis cauæ, truncum conſtituunt, ex qua dein rami per totum corpus diſſeminantur.

Quare Venas primò genitas, dein ex

in ex effuso è Venis sanguine & circumfuso Hepatis carnē gigni dicimus, cùm Hepatis substãtia nil aliud sit quàm parenchyma, id est, sanguinis affusio, vt loquitur Erasistratus: dein, cũ etiã mẽbrana ipsum parenchyma ambiens, à Venas cingente mẽbrana originẽ ducat, totaq; Hepatis substantia à Venis separari possit, vt hactenus in Anatomijs nostris ostendimus. Sed ad Venam portam.

Huc facit Venæ portæ figura, quæ est lib. 3. cap. 5. quamuis & libri 5. figura 4. & 5. multos Venæ portæ ramos proponat. Sic & libri quinti figura nona, q̃ hæmorrhoidales & figura duodecima, q̃ Meseraicas ostẽdit.

VENA PORTA, Hippocrati πύλας, Galeno 6. de admin. anato. 11. στελεχιαία, & 6. de placitis Hippoc. & Platonis 3. πύλας ἥπατος, porta iecoris, quia per eam velut portam, chylus ad Hepar deferatur.

Diuiditur autem in Truncũ & Ramos: rami alij superiores, quos Anatomici venæ portæ radices dicũt, qui quatuor vel quinque rami sunt (*A.A, A.A.A.*) per cauam Hepatis partem

dissеminati, qui postea extra Hepar in vnum truncũ coëunt, alij inferiores, de quibus post truncum.

Truncus notatur litera B, à quo ante diuisionẽ rami duo mittuntur, aliquando tamen quatuor.

I. Cysticæ gemellæ (*C. C.*) quod ad Vesiculę biliariæ collum & corpus ferantur.

II. Gastrica dextra (*D.*) quod ad posteriorem Ventriculi partẽ & pylorum abeat.

Dein Truncus paulum obliquè abiens. (*E*) in duos maximos diuiditur ramos inferiores in dextrũ (*G*) à quo ramus Mesentericus & sinistrum (*F*) qui splenicus, dicitur.

Ex dextro ramo tres mittuntur.

I. Gastroepiplois dextra (*H*) qđ partem ad vẽtriculi fundum dextrũ, partim ad omenti superiorem dextri lateris membranam rami dispergantur: cuius venæ sanguine vẽtriculus, cùm eius cauitatem subeat, nutritur: in Canibus autem non ab hoc ramo, sed ab intestinali progreditur.

II. Intestinalis (*I*) quod ad duodeni

ni medium , ieiuni principiũ abeat, ſed & Pãcreati & ſuperiori membranæ omenti ſurculos, ſed exiguos, largitur.

III. Meſentericus ramus *(bbb)* qui in Meſenterium fertur, ex quo tres alij rami minores prodeunt, de quibus vltimó.

A` ſiniſtro ramo ſplenico dicto *(F)* ante eius diuiſionem venæ quinque oriuntur.

I. Gaſtrica minor & ſiniſtra *(K)* quod ad partem gibbam ventriculi, qua dorſum ſpectat, aliquot ſurculis diffindatur.

II. Gaſtrica maior *(N)* ventriculi venarum maxima, ſub vẽtriculo, vbi dorſo initiũ, obliquè verſus ſuperius orificium cõſcendit, & ramos tres de ſe mittit, quorum tamen medius, notatu dignus eſt.

Coronaria nimirũ ſtomachica, *(Q)* quod ſuperius ventriculi orificium coronæ inſtar cingat, hæc in canibus valdè eſt conſpicua.

III. Epiploïs dextra, *(L)* Gaſtricę minori quaſi oppoſita, licet à ſiniſtro

ramo ſit orta, quia tamen ad dextram inferioris omenti membranam ſurculos, ac in colum inteſtinũ qua hac omenti membrana cõtinetur, mittit, idcirco dextra dicitur.

IV. Epiplois poſtica *(S)* Gaſtricæ maiori oppoſita, quod deorſum ad poſteriorem omenti mẽbranam, colicꝙ inteſtini partẽ, ramo vno dextro, altero ſiniſtro, in hominibus, non autem canibus, mittatur.

V. Inter hos ramos, parte tàm inferiori quàm ſuperiori, exigui ramuli infra quidem *(M)* notati ad glandoſum corpus. Pancreas dictum, mittũtur, quas Pancreęas nominare liceat.

Poſt hos ramulos truncus Splenicus, in duos ramos, ſuperiorem & inferiorem *(TT)* finditur, hicꝙ rurſus in alios. Ex ramo inferiori *(T)* duæ inſignes ſatis oriuntur.

I. Epiplois ſiniſtra *(V)* quod ad omẽti ſiniſtram partem ſolùm feratur, nec ſemper obſeruatur.

II. Gaſtroepiplois ſiniſtra *(Z)* q̃d ſiniſtram ventriculi fundi regionem, (ita vt cum prædicta Gaſtroepiploi

dextra

dextra conueniat) dein etiam superiorem sinistrę partis omenti mẽbranam, perreptet.

Ex ramo superiori (*T*) duę alię prodeunt.

I. Vas breue (*X*) Galeni 5. de vsu partium 4. iuxta eminẽtiorem lienis partem exortum, in sinistram fundi ventriculi partem inseritur & in multos ramulos dispergitur. Cuius venę vsus, vel vt melancholicus sanguis sua acida & astringenti facultate ventriculum constringat: eiusq́ retentricẽ facultatẽ augeat quo cibos vsq; dum fuerint percocti, retineat, ex loco cit. Galeni: vel (vt Arabes) sua aciditate & frigiditate, appetentiam excitet.

II. reperitur (*Y*) quę ab altera huius rami propagine orta, ad vẽtriculum fertur.

Quod reliquum est tàm inferioris, quàm superioris rami, plurimis ramulis inuicem implexis secundum longitudinem & mediam ipsius lienis lineam in eius corpus (*a a a a*) distribuitur.

Ramus tandem dexter Mesentericus *(b b b)* in tres præcipuas venas exit, & hæ in venas multas nullo certo numero comprehensas, inter duas Mesenterij tunicas feruntur, & venas Meseraicas (12. *fig. lib.* 5. *h.*) constituunt. Huius rami duo dextri.

I. Mesentericę dextrę *(bb)* dici possunt, quę suos ramos ieiuno, ileo, cæco & coli parti dextra communicãt, & in quatuordecim vel quindecim innominatos ramos diuiduntur, venas meseraicas dictos, quæ venæ in ieiuno & ileo cùm chylum exsugere debuerint frequentiores & etiam à Galeno, Hepatis manus dicuntur, eò quòd chylum exsuctũ ad ipsum Hepar pro sanguificatione, vt loquũtur, deferat: in quib. hactenus valuulas animaduertere non potui, quod si essent, alimẽti attractionẽ impedirent.

II. Mesentericus sinister *(b)* ramus tertius dicatur, qui in sinistrã & mediam Mesenterij partẽ disseminatur.

III. Hæmorrhoidalis interna *(c d e & 9. fig. lib. 5. circa k k)* ex Mesenterica sinistra, inter duas membranas

Meſenterij, ſecundũ Coli finẽ, deorſum ſub recto inteſtino abit, rectiq; finẽ orbiculatim *(ee)* amplectitur, per quas ſanguis fœculentus, qui hæmorrhoidalis, manare ſolet. Aliquãdo tamen, vena hęc non à ramo dextro, Meſenterico nimirũ, ſed à ramo ſiniſtro ſplenico, originem ducit.

DE INTESTINIS.
CAPVT XII.

Ad rectè intelligendum caput hoc, faciũt libri quinti figuræ, ſexta, 7. 8. 9. 10. & duodecima.

INTESTINA, ἔντερα Grẹcis, quòd in intima corporis ſede collocata ſint: corpora ſunt concaua, oblonga, teretia, conuerſionibus orbiculatis, vt loquitur Galenus 4. de vſu part. 17. donata: idq; tribus de cauſis: primùm, vt habet Galenus, ne alimẽtum ex animali ocyus elabatur: quare Ariſtoteles ea voracia dicit, quorum inteſtina aut recta, aut laxa ſunt: dein, ob chyli diſtributionem: tum, vt feces contineant.

Oriũtur à ventriculo eadem penè

ſubſtantia, ſed tenuiore, quæ carnea (licet alijs neruea) dici poteſt & maiorem abdominis cauitatem implēt.

Sex autem numero ſunt, Galeno 5. de vſu part. 3. & 6. de adminiſt. anat. 9. (licet eorum continuus ſit ductus & quidem ventriculi proceſſus) quę in Gracilia & Craſſa diuiduntur, eò quod ſuperiora ſint anguſta: inferiora verò, lata & craſſa: tum vt fęcũ maiorem copiam capiendo, diutius retineant: tum vt fęces ſicciores faciliùs permeent. Gracilia tria (10. *fig. EEE*) Duodenum, ieiunum & ileon. Craſſa totidem (10. *fig. G G G F H*) cæcum, colon & rectum.

Tenuium præſertim inteſtinorum ductum, figura ſeptima libri quinti, proponit.

De Gracilibus, quæ ventriculum excipiunt, primo loco: inter hæc Duodenum inteſtinorum primum. (*ab I ad K fig.* 7.) δωδεκαδάκτυλον, Herophilo, à duodecim digitorum longitudine, in noſtris tamen corporibus quatuor digitorum eſt. A`Pyloro originem ducit (12. *fig. S.*) ſpinam verſus quaſi recta deſcendens & vbi anfractus

ctus incipiunt finiẽs, quæ ratio cur aliqui cum Galeno ἔκφυσιν exortũ, seu intestinorũ processum, appellare maluerint. Hoc venas meseraicas non recipit, huicq́ Pancreas (12. *fig. lib.* 5. *ii*) de quo postea, subiacet.

Ieiunũ sequitur, νῆστις (*fig.* 7. *L.*) quod vtplurimum vacuum, vel reliquis inanius reperiatur dictum: idq́ tribus de causis: primò ut habet Galenus 5. de vsu part. 3. propter venarũ multitudinem chylum attrahẽtium: dein, quia chylus præteriens adhuc fluidus est: tum, ob vesiculæ bilis meatum, qui (12. & 13. *fig. c.*) aliquibus in huius principiũ, ad vim expultricem excitandam: aliis verò duodeno (13. *fig. d.*) inseritur, verùm inter duodeni finem & ieiuni principium implantari videtur. Exoritur vbi intestina (7. *fig. L.*) conuolui incipiunt, cuius maxima pars in sinistra est, duodeno tenuius & laxius, liuidiq́ coloris.

Ileon, Galeno λεπτὸν tenue, propter membranę tenuitatem & ob varias eius spiras, voluulus dicitur: hoc intesti-

intestinorum est longissimum & plurimas circumuolutiones obtinet, ad longiorem cibi moram, quod Plato laudat, ne propter nimiam vorandi cupiditatem, homines ἀφιλόσοφον καὶ ἄμουσον vitam agant: supra vmbilicum ad Ilia coxasq; positum, mediam vẽtris sedem occupat. Oritur autẽ vbi intestinum rubere incipit, & quo loci pauciores & minores venæ inserun-tur, cuius finem in 7. & 8. fig. M. lit. notat, quæ etiam graciliũ intestino-rum finem ostendit. Hæc crassis sunt longiora, vt quæ optimum alimentũ essent exceptura, ne hoc à venarum Meseraicarũ tenuissimis osculis elaberetur: cuius etiam nomine pluribus gyris donãtur, ut quod superiori parte à venis præteritum erat, à subsequentibus assumatur.

Vsus gracilium seu tenuium intestinorum potissimus est, vt per venas meseraicas chylũ ad Hepar deferant, distributionis enim instrumenta fecit natura, quamuis à Galeno 4. de vsu partium 17. etiam facultas quædam cõcoctrix ipsis tribuatur, cuius nomine

mine ipſorum ſubſtantia à ventriculi ſubſtantia haud multum diuerſa.

Craſſa inteſtina octaua libri quinti figura proponit: quorum initium N notat.

Craſſorum primum eſt cæcũ (6.7. 8.*fig.* O. 10.*fig.* F) quod τυφλὸν & monoculũ dicunt: vel quòd vno donetur foramine: vel quia obſcurus eius ſit vſus. Ex duobus capitibus ilei fine & coli principio ſubſtantia craſſa ſatis, oritur appendix tenuis, figura oblongum ventrem vermis in modũ conuolutum repręſentãs, quod reni dextro ſecundum coxam mediante peritonęo in homine, nõ canibus adnectitur, & à meſenterio liberum eſt. Verùm veteres nõ appendicẽ hanc, quæ ipſi colo adponitur, inteſtinum cæcum vocauêre, (hinc aliqui in brutis tria, in homine verò tantùm duo craſſa inteſtina conſtituunt) ſed id quod à tenuium inteſtinorum inſertione ad colũ vſque porrigitur (quod interuallũ in gliribus, ſciuris, ſuibus, bobus & brutis gulæ deditis, maximũ apparet) pro cæco ſumpſêre inteſtino, quod nos Coli dicimus initiũ,

nostrum-

nostrumq; cæcum in homine vacuũ est, fortè ob viæ quæ est ab ileo in colum rectitudinem.

Colon succedit (*6.8.fig. N.P. Q.R.S. T. 10.fig. GGG*) ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι à torquendo, ob acerbissimum qui in eo fit dolorem colicum, quod in dextro ileo à cæco oritur: dein ad dextrum renem cui adnexũ, flectitur (*N ad P.*) ad iecoris cauum, tum se conuoluẽs sursum ventriculi fundum (*P ad Q.*) perreptans, ad sinistrum renem, cui etiam alligatur (vnde sępè Medici in distinguẽdo colico dolore à nephritico laborant) descendit, tandem inflectitur & ad sinistrum ileon duos gyros (*8.fig. R. ad S.*) efficit, inq; rectũ intestinum (*T*) desinit. Substantia reliquis carnosior, reliquisq; maius, vtrinq; extuberantias semiglobuli instar, quas cellulas (*6.8.fig. XX.*) vocant (hinc quibusdam potius κοῖλον quam κῶλον) obtinens, à quibus excrementa varias figuras acquirunt: in quibus si colligatur pituita, (quamuis in eodem interdum & calculi generentur) acerrimi dolores & curatu difficiles,

ciles, orientur. Ligamentis duobus, vno sursum, altero deorsum, donatur.

VALVVLA hoc loco notanda, de qua licet dictum sit in Præfatione tractatus nostri de partibus externis, & etiam fusiùs in Appendice libri de Partu Cæsareo, inter alias admirãdas historias: tamen de ea hoc loco paucis. Anno 1579. in Colo intestino eo loci vbi tenue intestinũ ileõ puta, finit & appẽdix lumbricum referens cæcum dictum intestinum adponitur, ad coli nimirum principium insignem Valuulam, membranosam, crassam, vnguem pollicis latitudine superantẽ, inuenimus (de qua prius nullus quicquã scripserat) cuius toto nunc decennio ex quo in hac Academia Anatomiæ præsum, in publicis Anatomijs à me facta mẽtio, & à meis discipulis ante aliquot annos Patauij demonstrata. Sed & in canibus quid simile apparet, quod tamen circulus potius quàm valuula. Vsum huius valuulæ quod attinet, (cum aqua per inferiora rectum nimirum

inteſtinum infuſa non pertranſeat, niſi vi adigas qua ratione valuula inueniri poteſt) arbitror eum eſſe, ne excremēta, ex tenuibus inteſtinis ad craſſa delata, in alui conſtipatione regurgitare poſsint. Nec obſtat Iliaca paſsio, quòd per vomitum excremēta reijciantur: quia hæc quæ per vomitum reijciuntur, nihil aliud ſunt quàm cibus in inteſtinis tenuibus ob diuturniorem eo loci moram corruptus, nec à craſsis inteſtinis per os excrementa reijciuntur. Sed hac de re locis citatis, plura vbi oſtenſum fuit ex Galeno 5. meth. med. 11. & 13. Meth. 17. clyſmata ad tenuia inteſtina non peruenire.

Rectum inteſtinorum vltimū eſt, à ſitu nomen habens, ἀρχὸν Hippocrati: aluus, vulgo longanum (*6. & 8. fig. quicquid ſub Y eſt.*) Oritur vbi inteſtinorum anfractus deſinunt iuxta ſacri oſsis ſummum, inde ad coccygem delatum, virorum peni (8 *fig. d*) & mulierum vteri ceruici, muſculoſæ ſubſtantiæ interuentu, connaſcitur, & tandē in ano terminatur, anumque

conſti-

constituit. (Sed de ano, eiusq; musculis cap. 27.) ea verò parte qua musculus est, ἐσφιγμένον astrictum: qua verò latius est, nec musculo comprimitur χαλαρόν laxum, dicitur.

Hæc tria stercori colligendo dicata sunt & tenuibus, ne lædantur, valli instar (10. *fig. GGG*) circumposita. Et hæc sunt intestina omnia, quæ licet nominibus differant, à Gula tamen vsq; ad Anum sunt continuata.

Huc facit libri quinti, figura nona.

Tunicis tribus donantur, Galenò 4. & 5. de vsu partium, & 6. de administ. anato. duabus proprijs, quas χιτῶνας vocant, & tertia, communi. Prima interna (*h*) quæ carnosa & rugosa nec tamen pinguis, sed muco oblinita: quæ tamen in tenuibus plicas profundiores habet, vt in ijs alimentum moram ducendo, commodiùs à venis tenuissimis apprehēdatur: altera (*i i*) mēbranosa, tenuis: tertia communis (*LL*) quæ extima à mesenterij membranis (*kk*) pronata.

Fibrarum seu villorum omni genere, licet non eodem in omnibus

modo, donãtur, de quibus inter Anatomicos nõ conuenit: interior quidẽ obliquis, vt contineant (Galenus tamen 6. de vſu part. retentionem mediantibus omnibus villis fieri dicit) altera, tranſuerſis vt expellant: rectæ licet pauciores ad tranſuerſarum tutelam additæ, vt in recto cernere licet inteſtino.

In Venæ portæ & Arteriarum figuris.

Vaſa tãdem quæ ad ea mittuntur, ſunt venæ à vena porta, vt inteſtinalis (*I*) duæ Meſentericæ dextræ (*bb*) (de quibus cap. 11.) quarum beneficio etiam nutriuntur. Arteriæ, ab arterijs lumbaribus, quarum vna Meſenterica ſuperior (ζ) altera Meſenterica inferior (λ) de quibus in Arteria magna. Neruos à ſexta cerebri coniugatione, ramo coſtali, ſenſui ad excretionem inſeruientes.

Longitudo eorum in omnibus non eadem, aliquando viginti, aliquãdo vigintiquatuor vlnarum exiſtit.

DE

DE MESENTERIO.

CAPVT XIII.

Huc faciunt figu. 10.11.12. & 24. libri quinti: potiſsimùm 10. & 11.

MESENTERIVM, à ſitu, quod inteſtinorum ſit medium: ſeu μεσεραιον Galeno, à propria ſubſtantia. Hippocrati de natura oſſium μεσοκῶλον (*hoc integrum, omnibusq́; partibus liberum libri quinti fig. 11. exprimit.*) Medianum inteſtinũ Ciceroni: lactes Gazæ, ſed malè.

Eſt mẽbrum, inter inteſtina mediũ collocatum, nihilq́; aliud quàm peritonæum reduplicatum.

Oritur iuxta ſpinam, Galeno 6. de adminiſt. anato. 6. & 4. de vſu part. 20. veluti ex peritonæi portionibus (10. & 11. *fig. K*) multis tum venis, tum arterijs, neruis, glandulis & adipe, duplicata tandem mẽbrana (11. *fig. X. Y.* 24. *fig. F. F. G. G.*) ſiue à peritoneo, ſiue a neruis & arterijs oriatur, compoſitum. Venæ quidem, à vena porta, quæ Meſeraicæ dicuntur: Arteriæ, ab aorta, Meſenterica ſuperior

& inferior. Nerui verò, à ſexta cerebri coniugatione, ſeu pari. Glandulæ plures (*M. M.*) ad diuiſionem vaſorũ, vt ipſorum robori & ſecuritati conferant, adpoſitæ: vna tamen inſignis (*LL*) in ipſius medio collocata, quæ aliquãdo ſcirrhum patitur, vnde Tabes conſequitur.

Diuidi fortè poteſt, in partem eam qua inteſtina tenuia connectuntur (11. *fig. N.O.* 24. *EE*) & Meſenterium dicitur: & in partem eam, qua colon connectitur (11. *fig. P. Q. R. S. T.* 24. *HH.*) & Meſocolon vocatur, idq; ratione arteriarum. Meſenterica enim maior, vel ſuperior, ad Meſenterium: minor verò ſeu inferior (20. *fig. lib.* 5. *k.*) ad Meſocolon defertur. Galenus verò, qui vnicum facit, in dextrum, ſiniſtrum & medium diuidit.

Vſus, vt huius interuentu inteſtina omnia tanquam ligamento, lumborum vertebris annectantur.

DE

DE PANCREATE.

CAPVT XIV.

Figura quarta libri quinti, & eiusdem libri figura duodecima, hoc nobis proponunt.

PANCREAS Galeno & καλλίκρεας, quòd esui sit iucundũ, quibusdam lactes, propter candorẽ & mollitiem, dicitur.

Corpus est glandulosam, ventriculi fundo substractum, duodeno adnatum (4.*fig. lib.* 5.η η. θ. 12.*fig. ii.*) in hominibus albicãs, in canibus verò rubens.

Vsus: primùm, vt venas, arterias & neruos, vt habet Galenus 5. de vsu part. 2. in ramos sublimes diuaricatos, illæsos infractosq; cõseruet: dein, ne vẽtriculus, spinæ attactu lædatur: tum, ne arteria plus iusto à vẽtriculo comprimatur: tãdem, vt vacua inter ventriculũ & Hepar spacia, expleat.

DE VENA CAVA eiusque ramis per Abdomen disseminatis.

CAPUT XV.

Huc refer totius venæ cauæ delineatio- nẽ quæ habetur libro tertio, capite sexto: & figuram vigesimã tertiam libri quinti.

VENA CAVA, ἡπατῖτιδα Hippocrati, aliarum nostri corporis venarum Vmbilicali & Porta excepta mater. Aristoteli 3. de partib. animal. 4. ex dextro cordis ventriculo, initium sumit. Galeno verò 5. de vsu part. 2. & plerisq; Anatomicis, ex gibba supernaq; Hepatis parte oritur: nos verò venas, antequam Hepar vel Cor nasceretur, genitas dicimus. Hęc per totam animalis longitudinem percurrens, sanguinem totius corporis materiam, vt habet Aristoteles 3. de partibus animal. 5. omniúmue partium nutrimentum in venis Hepatis elaboratũ, per totum corpus diffundit. Hæc licet sit à iugulo, vsque ad osis sacri principium indiuisa, doctrinæ tamen causa, eam diui-

diuidemus in partẽ ſuperiorem, quæ Diaphragma penetrãs, Caput petit, de qua in Thoracis hiſtoria: & in partem inferiorem, quæ abdomen percurrens, ad pedes extenditur, de qua nunc.

Venæ cauæ truncus inferior, qui partes ſub diaphragmate ſitas, ſuo quem defert ſanguine nutrit (*litera ζ notatur*) diuiditur in Truncum & Ramos, à quibus dein alij prodeunt.

A Trunco (*à ζ ad o*) venæ quatuor oriuntur, quarum

I. Adipoſa (*η & 23. l.o.*) quod ad adipem & exteriorem renum tunicã feratur, quarũ ſiniſtra ſępè ex trunco, dextra verò ex emulgente (vt habet figura Veſalij) & viceuerſa, oritur: aliquando tamen vtraq; eodem exortu à trunco: ſiniſtraq́; , dextra plerumq; ſuperior.

II. Emulgentes ſeu Renales (*θ. 1. & 23. m. n.*) quòd in renibus terminetur & ad eoſdem ſeroſum ſanguinem deducant. Harum ſiniſtra dextra inferior: quod Galeno propter attractionem fit, ne alterius functio

impediatur: dein ne vasa ruptioni facilius sint obnoxia: sed & sinistra dextra longior, ob vas seminarium, quod inde exoriri debuit: hæc non secus quàm dextra, circa medium renis corpus, diuisa tamen, implantatur. Aliquando dextra ab exortu triplex, vbi sinistra simplex, sed in quatuor diuisa ramos, dextraq; erat superior: nam si qua in parte corporis natura ludere solet, id circa venas potissimùm emulgentes & spermaticas facere consueuit. Notandum tamen, venas emulgentes in Renẽ non ascẽsu, sed descensu, implantari.

III. Spermaticæ seu seminales (λ. μ. 23. t x.) quod seminis deferant materiam, superfluitatem nimirum extremæ concoctionis à toto corpore & bona ex parte iuxta Hippocratem ex cerebro: harum dextra, infra emulgentẽ ex ipsius trunci medio: sinistra verò, ab ipso venæ emulgentis ramo (cui sæpè ramulus à venæ cauę trunco (*fig. 22. lib. 5. y.*) accedit) oritur, idque propter venæ paruitatẽ: si enim super arteriã transijsset, ab eius motu fuisset

fuiſſet diſrupta. Hę obliquè deſcendentes, in viris, in teſtis tunicam, & ſubſtãtiam ſecundum aliquos abſumuntur; aliĳs verò, in corpus varicoſum deſinunt.

IV. Lumbares duæ aut tres (ξ) quæ inter quatuor lumborum vertebras feruntur, eorum corpus cum ſpinali medulla nutrientes. À quibus (quod notata dignum) vertebræ ſi diſſecentur, venæ duæ comitibus arterĳs vtrinq; ad ſpinalis medullæ latus in Cerebrũm aſcendunt & hæc vaſa materiam fortè ſeminis à Cerebro, vt Platonis fuit ſententia, deferunt, & Ariſtoteli viſum fuit ſemẽ labi per ſpinam è Cerebro.

Poſt venas has, ad quartam lumborum vertebram (ο) vena caua in duos truncos, ſeu ramos ileos diuiditur: ex quibus, vtrinq; ante diuiſionem, Muſcula & Sacra oriuntur.

Muſcula (π) quod ad ψόας lumborum muſculos & etiam abdominis mittatur, quarũ vna altera ſuperior, quam ſemper à trunco prodire, animaduertimus.

Sacra(φ)quod per anteriora & superiora neruorum foramina, in sacri ossis medullã mittatur, quæ aliquando simplex, aliquando gemina, paruaq; existit.

Tum, quilibet Truncus in duos alios bipartitur ramos, quorum interior ϱ: exterior ς notatur: à quibus sequentes tres venæ prodeunt.

I. Epigastria (Γ) quod in peritonęum & epigastrij musculos dissemi netur: eius enim ramus præcipuus, per rectorum Musculorum longitudinem, ad mammarias sursum mittitur, & supra vmbilicum, ipsa quidem interna sub ipsis musculis, externa verò supra progressa, cum venis mãmarijs (*M*) per anastomoses plerunq; coniunguntur: hinc vteri cum mammis consensus, vt in rectorum musculorum historia dictum.

II. Hypogastria (χψ) quod in omnes propè ipsius hypogastrij partes, disseminetur: vena insignis, aliquando gemina: mittitur enim ad intestinum rectum, hęmorrhoides externas constituens, ad vesicam, penẽ,

vterum:

vtĕrum: per quam virginibus mēses, sæpè etiam grauidis, expurgantur.

III. Pudenda(Δ)quod ad pubem & pudēdi muliebris carnem: in viris verò ad scrotum & penis carnem, mittatur.

Et hæ sunt venæ omnes, quæ ab ipsa vena caua in Abdominis spatio, antequam Peritonæo excidat, prodeunt. Quam primùm enim vena caua, seu rami ipsius Iliaci peritonæo excidere, non amplius Iliij, sed Crurales nominantur, de quibus in pedis historia.

DE ARTERIÆ MAgnæ ramis per Abdomen disseminatis.

CAPVT XVI.

Arteriarum totius corporis delineatio, quæ habetur libro tertio, capite duodecimo: & libri quinti figura vigesimatertia.

ARTERIA magna sequitur, de cuius ramis per infimum ventrem disseminatis, est vt dicamus, de eius enim origine, in medio dicturi sumus ventre.

Arteria ergo magna, quæ ἀόρτη Aristoteli,

ristoteli, Cor egressa in duos diuiditur Truncos (*C*) in minorem, qui sursum (*V*) & maiorem (*i*) qui deorsum mittitur. Ex trunco maiore, oriuntur rami alij, qui per Thoracem de quibus in Thoracis historia: alij qui per Abdomen disseminātur, de quibus nunc. Septem autem sunt rami qui ex Trunco per Abdomen disseminantur, antequam in Ileos abeat ramos.

I. Cæliaca (*m*) ramus insignis, qui ad ventriculum, omentum, intestinum duodenum, ieiuni initium coli partē, hepar, vesicam bilariam, pancreas & lienem varijs ramis ad Venæ portæ similitudinem, fertur.

Arteriam lienis, hîc notare conuenit, quæ ab arteria magna ad lienem non recto, sed obliquo, seu flexuoso ductu per ipsum pancreas ꝓgreditur; quod fortè factum, vt non solùm, vitalis spiritus copiam, lieni suggerat: verum etiam vt crassiorē, & exustam spirituosi sanguinis in aorta contenti materiam, in lienem quasi euomat & expurget: verùm cū

crassio-

crassiorem & fæculentum sanguinē deferat ne facilè obstruatur, ampla & sinuosa est effecta vt eleganter Arantius.

II. Mesenterica superior (*ζ & 23. fig. k.*) quod in superiorem ac propemodum vniuersam Mesenterij sedē propagetur, & suis propaginibus in ieiunum, ileon & coli partē, ad dextrum renem spargatur.

III. Renalis seu emulgens dextra (*η. & 23. fig. n. o*) & sinistra (*θ*) quæ in renes vt & venæ emulgētes, abeunt: huius enim arteriç, vix aliquid ad renum tunicam abit.

IV. Spermatica seu seminalis dextra (*ι*) & sinistra (*κ*) ab ipso arteriæ trunco (*fig. 23. α*) prodiens, cum venis spermaticis ad testes abeunt.

V. Mesenterica inferior (*λ*) humiliorem mesenterij sedem subit, ac potissimum in colon intestinum, ac rectum, distribuitur.

VI. Lumbares (*μ*) per neruorum foramina lumborum vertebras accedunt, & in peritonæum ac musculos vertebris adnatos, distribuūtur.

VII. Ilia

VII. Ilia(*vvv*) antequam Arteria iñ duos truncos diſtribuatur dicitur, quæ ad oſſis ſacri principium Venã cauam conſcendit, ne cũ perpetuo moueatur, ad os collidens, lædatur.

Mox Arteria magna, Venæ cauæ inſtar in duos Truncos diuiditur, & horum quilibet in ramum interiorẽ (*ξ*) & exteriorem longè maiorẽ, qui ad Crus abit, diuiditur: à quibus rami certi antequam in crura abeant, originem ducunt.

I. Sacra (*vv*) quod ad os ſacrum, eiusq; medullam, per anteriora foramina feratur, quæ ſub bifurcatione ſtatim oritur.

II. Muſcula (*o*) quod ad eius loci muſculos excurrat, eſtque interioris rami propago exterior.

III. Hypogaſtria, eiuſdem rami propago, cuius pars vnà (*π*) ad veſicam, penem, vterum: altera verò (*ς*) per pubis oſſis foramen delapſa, in muſculos os pubis tegentes fertur.

IV. Arteriæ vmbilicales (*ρ*) ſiue hinc exoriãtur, vt multi: ſiue hîc implantentur, de his in Vaſorum vmbilicalium

bilicalium hiſtoria, ſuprà fuit dictũ capite nono.

V. Epigaſtria (τ) exterioris rami propago, quæ ſurſum ad rectũ muſculum fertur: de qua in rectorum muſculorum hiſtoria ſuprà capite ſexto.

VI. Pudenda (υ) eiuſdem rami propago, ſurculos ad pudenda & penis cutim mittit.

Reliquũ Arteriȩ, vtrinq; in crus (φ) abit & Crurales dicuntur: de quibus infrà in Pedis hiſtoria.

DE RENIBVS.

CAPVT XVII.

Huc faciunt figura 20. 21. 22 & 23. libri quinti. Sic & libri tertij, figura vltima.

RENES, qui νεφροὶ, ſeroſæ ſuperfluitatis receptacula, duo ſunt (rarius vnus ſpinæ impoſitus) carne dẽſa & ſolida donati, ab Hippocrate in glandularum genere repoſiti, figura phaſeoli, colore ſubrubei, malorum ſpeciem, vt loquitur Hippocrates, præ ſe ferentes. Hi dorſo, tum coſtis notis annectũtur,

musculisq; dorsalibus incumbunt, venæ cauæ lateribus appositi, quo expeditius serum è sanguine eliciāt.

Dexter tamen qui sub Hepate locatus, in humano corpore sinistro est inferior, licet Galenus & pleriq; Anatomici, contrariū (quod in canibus animaduertitur) sentiant; quod factum videtur, ne ren dexter à mole & magnitudine Hepatis lædatur: obseruauimus etiam, sinistrū renem incumbentē ipsi diuisioni Venæ cauæ & Arteriæ magnę circa Ilia, ad quem renem ex corpore medio Venæ cauæ, circa lumbares duo rami & vnus insignis, qui emulgētem constituebat, ex sinistro trunci latere mittebātur. Circa verò regionem eam, vbi sinister ren situandus erat, nil nisi glandula adiposa tunica tecta obseruabatur, ad quam tamē & Vena & Arteria emulgens mittebatur, & ab hac vena emulgente, spermatica etiam vena sinistra prodibat.

Tunica duplici vestiuntur, exteriore vna (*TV*) à peritonæo, cui glandula figura reni similis adhæret: altera à

ra à venis emulgentibus orta.

Vaſa item ad Renes mittuntur; venæ quidem duplices à trũco, aliæ ad exteriorem renum tunicam Adipoſæ(20.*fig.XI*)dictę:aliæ ad Renes, emulgentes nimirum(*a.b.*) dextra & ſiniſtra. Arteriæ vtrinque vna(*a.b.*) emulgentes puta:& deniq; Neruulus à ſtomachico prodiens.

Ventres duos obtinent, exteriorem quem portam Fallopius, per quem emulgentes tàm venę, quàm arteriæ (*a.b*) & neruuli à ſexto pari, qui à ſtomachico(vnde in Nephriticis vomitus) inſeruntur, & per totũ corpus diſperguntur, ex quo etiam Vreteres(*cc.dd.*)egrediũtur, qui in renibus dilatati atq; inſtar pedis anſerini(*vt oſtendit tabella 2.& 3.fig.vigeſimæ primæ*) diuiſi ſunt, quorũ quilibet in ramos maiori ex parte nouẽ in fine dilatatus,carunculas amplexatur & hic colatoriũ vocatur.Alter ſinus eſt internus,in quo carunculæ ſiue glãdulę ſubalbę pupillis mammarum ſimiles, atque anguſtis foraminibus perforatæ, quæ vix capillũ

admittunt, per quæ lotium percola-tur, & ne ſanguis cum ſero effluat, impediunt. Lubet de Serpentibus, qui in luporum renibus inueniuntur, aliquid adferre.

Carolus Stephanus lib. 7. ſuę agricult. cap. 1. memorat, ſe primũ in Luporum ſenũ renibus ſerpentes obſeruaſſe: ita vt aliquando Lupus in vno rene, duos habeat ſerpentes, quorum vnus pedem longus, alter pollicis longitudine, alij etiam breuiores ſint, qui venenatiſſimi reddantur & cũ tẽpore Lupũ enecent. Hinc videmus, ſi animal aliquod à Lupo fuerit præmorſum, rarò aut quã difficillimè curari, quod dubio procul ꝓpter peculiare venenũ in Lupo deliteſcens, vſuuenit: pleraq; eñ animalia p̃morſa moriũtur, aut ſaltẽ membrũ pręmorſum putreſcit.

Vſus eorũ eſt, ſanguinis maſſam ab aquea humiditate repurgare.

DE VASIS SPERmaticis præparantibus.

CAPVT XIIX.

Huc refer libri quinti figuram 20. 22. & 23. Sic

23. Sic & Venarum & Arteriarum integram tabellam: & libri tertij figuram vltimam.

VASA seminaria, σπερματικὰ ἀγγεία Galeno duplicia ſunt: alia enim materiam ad teſtes deferunt, & dicuntur Prępar antia: alia ſemen iam elaboratum in Epididymide, vel Teſtibus, ad proſtatas ad penis radicem deferunt, & Anatomicis deferentia, nobis eiaculatoria dicuntur.

Præparantia, ſeu ſeminis materiã deferentia, quatuor ſunt, Venæ duæ ſpermaticæ dictæ, dextra *(t)* à Venæ cauæ trunco principio *(u)* extuberãte: ſiniſtra *(x)* à vena emulgente ſiniſtra *(n)* prodiens, cui ſæpè ramulus à Venę cauę trunco *(22. fig. y.)* accedit. Arteriæ duæ ſeminales, dextra & ſiniſtra *(α)* ab arteriæ magnæ trunco prodeuntes, de quibus ſuprá. Hæc ſeminalia vaſa quatuor, membranula vtrinque ita inuicem connectuntur, vt difficilè diuelli queant & ſimul implicita *(.22. & 23. fig. δ.)* capreolorum quorundam modo *(22.*

[illegible].23.C.) delata ad teſtis caput: materiamq́; ſemini generando dicatã, inſenſibili quadã ratione ſpongioſæ teſtium ſubſtantiæ ſuggerunt, vt innata eorum facultate in ſeminis naturam tranſmutetur, non aliter quã in mammis lac conficitur.

DE TESTIBVS.

CAPVT XIX.

Huc facit 22. & 23. figura libri quinti.

TESTES quòd virilitatis teſtimonium præbeant, ὄρχεις καὶ δίδυμοι Herophilo, quod bini vt plurimum ſingulis hominibus ſint à natura, rarius enim τριόρχεις dantur.

Subſtantia donantur rara (23. *fig. VV.*) laxa, alba, molli & cauernoſa, figura ouali, qui ſub ventre foras prominent penduli. Horum pars ſuperior Ariſtoteli & Galeno, caput dicitur: inferior verò πυθμένα ſeu fundũ. Dexter, qui Galeno varicoſior, ab Hippocrate ἀῤῥενόγονος: ſiniſter verò θυλήγονος dicitur: eò quòd huius ſemen ſit aquoſum cum ab emulgente materia deferatur, ideò imbecillũ

&

& cùm minus ſit excoctum, ideò frigidius & humidius fœminis gignẽdis magis appoſitum, hinc fœmina viro imperfectior exiſtit, temperamento item frigidior & humidior eſt: illius verò, cùm ex trunco materia deferatur, calidius magis, percoctum, ideò potentius & gignendis maſculis accommodatius. Sed hoc loco conſideratione dignum, Teſtem nimirum ſiniſtrum, plerumque ſemine magis refertum quã dextrũ cerni: quod argumento eſt, naturam fœminarũ generationi potius, quã maſculorum intẽtam eſſe, licet Ariſtoteles dixerit, fœminam loco mõſtri in natura videri.

Inuolucris donantur communibus binis & totidem proprijs. Communium primũ exterius rugoſum, à Cuticula & Cute efformatum, vtrumq; teſticulum inueſtiens ὄσχεον Galeno de diſſect. vteri: ſcrotũ, alijs ſcortum *(20. f.)* burſa teſtium vulgo. Alterũ à panniculo carnoſo efformatur(20. *t.*) venis arterijsq; refertũ, Ruffo & Paulo δάρτος dicitur, ἀπὸ τοῦ

 δέρεαζ,

δήρεαδς, quod excoriari poſſit. Propriorum primum, validum quidem, ſed tenue, venis abundans (*20.u.22.φχ*) Galeno, Paulo & Ruffo ἐλυτροειδὴς vaginalis à forma, vel ἐρυθροειδὴς, quaſi rubrum ſit: Paulo etiam ἐλυκοειδὴς, capreolaris quibuſdam: hoc quibuſdam à neruea muſculorū tenuitate, nobis verò à peritonæi proceſſibus oritur. Alterum, quod immediatè teſtis ſubſtantiam integit (*22.fig.ζ 23.P.R.*) pleriſque à peritonæo, nobis à vaſis ſeminalibus pronaſcitur, illisque δάρτος ex Galeno, nobis albuginea, Veſalio & Columbo, Epididymis: Ruffo ὑμὴν νευρώδης παρὰ τὸ πῆς, dicitur.

Muſculi teſticulorum (*22.fig.ψ.*) bini ſunt, vtrinque vnus, qui tenues, oblongi & graciles, ab ea oſſis Ilium regione, in qua tranſuerſorum muſculorum extremus eſt terminus: in canibus verò, à peritonæo pronati videntur. Hi κρεμαστῆρες quaſi ſuſpenſores dicti, ab eorum vſu, qui eſt teſtes, potiſſimùm in congreſſu, ſuſtinere, ne vaſis ſeminarijs oneri ſint.

Venæ

Venæ & Arteriæ, à ſeminarijs, ad teſtes mittuntur: neruũ verò, à ſexta cerebri coniugatione, recipiunt.

Vſus horum, vt ſuo calore innato & ſpiritu ex arterijs eo delato, materiam ſeminis percoquant & ab ijs ſemen, nõ tàm formam & colorem album, quàm nomen & vim generandi, recipiat: quidam tamen, præcipuum eorum vſum credunt, vt quemadmodum renes ab arterijs & venis, ita illi à vaſis ſpermaticis ſeroſum excrementum ſuſcipiant, ad ſeminis verò generationem, parum conferre.

DE EPIDIDYMIDE, Corpore varicoſo & Paraſtatis.

CAPVT XX.

Huc facit 22. & 23. figura libri quinti.

EPIDIDYMIS, cuius accepto varia eſt, dicitur ab ἐπὶ, id eſt, ſupra, & διδυμύδιον, ἀπὸ τοῦ διδύμου, id eſt, teſte, cuius hoc diminutiuum, corpus aut natura, aut ſimilitudine, aut vſu, idem cum teſte ſignificans.

Eſt autem corpus paruum oblõ-

gum(22.*fig*.ε.23.η.θ.ι.) testem referẽs: eique superimpositum, seu extremo testis in parte sima, capiti scilicet & fundo alligatum, in medio seiunctũ, in quod venas & arterias spermaticas (*C.D.*) magna ex parte desinere volunt: ab hoc canalis seminarius (*E*) ortum ducit: quod alij Corpus varicosum, quod capreolorum vitium in modum sit intortum: alij Parastatas vocant.

Hic autem varicosus parastatis multiplices propagines hauriendo semini aptas & in vnum canalem deferendo declinatas habet: innumeræ enim tenuissimæ fibrę candidæ & crispæ, capreolorum vitis in modum cõuolutæ, per testium carnem variè disperguntur, ab ipsis testibus, tanquam à terra succo plena, perfectum semen attrahentes & ad varicosum canalem, seu vasa spermatica eiaculatoria, deferentes.

Substãtia huius in superficie quidem neruosa videtur, intrinsecus autem glandulosa est, ita vt ex Galeni sententia, quoad substantiam

inter testem ac spermatica vasa sit media.

Varicosum est, vel vt semen nondum elaboratum, è vasis præparantibus in eiaculatoria delabi non sinat: vel, vt etiam semẽ ex parte confectum, ad perfectam elaborationem, perducat.

DE VASIS SPERmaticis eiaculatorijs.

CAPVT XXI.

Huc facit 22. & 23. figura libri quinti.

VASA spermatica eiaculatoria quæ aliqui seminis ductus & varicosum canalem vocant (πόρος σπερματικὸς Herophilus & ἀγγεῖα σπερματικὰ Galenus vocauit) duo sunt, vtrinque vnum (23. *fig. EFG*) corpus album, neruorum instar (κ) durum ab Epididymide prodiens (HI) Hæc ad magnam abdominis cauitatem sursum (λ) ascendunt, via ea qua vasa præparantia (*y*) descenderant: dein ad pubis os reflexa, vesicæ posteriorem partem accedunt, ac vnica iuxta vesicæ ceruicem (μ) intra

glandulosum corpus, quod Prostatas vocant(ξ) inseruntur.

DE VESICVLIS seminarijs.

CAPVT XXII.

VESICVLAS geminas, quas παραστάτας κιρσοειδεῖς, id est, varicosos adstites Herophili esse, voluit Fallopius (Vesalio verò, vasorum semen deferentium gyri: Arantio, varicosa seminis ductus substãtia dicitur) inter vesicæ vrinariæ & recti intestini ligamenta, obseruare licet: vtrinque vnam nerueam (ex venæ & arteriæ coalitu, iuxta definitionum medicarum authorem, cõpositam) satis insignem, anfractuosam, vt varicoso vasi sit similis. Arãtius vult, vasa eiaculatoria in hos anfractus dilatari. Hæ materia flauescente semper sunt refertæ, & hæc fortè erit, oleaginosa illa materia, qua Galenus meatum vrinarium illiniri vult. Fallopio tamen ipsum semen est, multis mensibus coaceruatum & ad plures congressus reseruatum.

uatum. Sunt autem anfractuoſæ, ne vno coitu totum ſemen, ſi modò ſemen ſit, effundatur. Hæ tandem, in vnũ communẽ meatum, exiguo genitali ſimilem degenerant, qui in glandulosum proſtatarum corpus ſeſe medius inſinuat, vt ex vtriſq; anfractibus, in communem meatum ſemen, vel materiam contentam, effundat.

DE PROSTATIS.
CAPVT XXIII.

Huc facit 22. & 23. figura libri quinti.

PROSTATAS, Herophilus ἀδενοειδεῖς προστάτας, vt habetur secũdo de ſemine apud Galenum: alij glandulosum aſſiſtens: Columbus, paraſtatas: Arãtius, glandoſum paraſtata, vocauit.

Sunt binæ glandulæ vtrinque ad Penis radicem (ξξ) locatæ, quæ reliquis glandulis candidiores, ſubſtantiaque dura præditæ ſunt. Hę alijs ſemen iam elaboratum à vaſis eiaculatorijs recipiunt: alijs verò ex Galeno, oleoſum humorem continent,

qui

qui meatum vrinarium humectet, aduersus vrinæ rosionem inungat, & vt tanto expeditius per canalem lubricum, lotium transeat: alijs verò, vtrumque continet. Sed & solidiore sua substantia vesicæ ceruicē sustinet ne concidat, vrinæque excretionem remoretur.

DE VRETERIBVS.

CAPVT XXIV.

Huc faciunt libri quinti, figuræ 20.22. 23.25. & 26.

ΟΥΡΗΤΗΡΕΣ, id est, vrinarij meatus, vasa sunt concaua, crassa, neruosa, albicantia, & anfractuosa. Duo sunt, (*fig.* 20.25.*cc.* 23. *qq:* 26.*N.*) vtrinq; vnus, rarius enim ex vno latere duo obseruātur, quod in puella quadam visum, quæ in dextro latere vreteres duos habuit, à cauis renum partibus orti, qui lumbis adhærentes descendunt, & iuxta vesicę collum (25.*b.c.*) inter duas membranulas transuersas (23.*r.*26.*M.*) inseruntur, idq; quo vrina vesicam ingressa, regredi non posit, cùm interior

rior membranula vreteris foramen obturet. Vrina enim per manifeſtum hunc meatum ex renibus in veſicam defertur, non autem vt Aſclepiades voluit (cuius opinionis adhuc ſunt viri magni, Anatomes ignari) in halitum humor reſoluitur & in veſicam tranſmittitur, dein inibi cõcreti in humorem priori ſimilem trãſeunt, contra quod & Galenus 1. de faculta. natural. 13. diſputat.

Sunt autem in viris lõgi, rotundi, anguſti, literę S inſtar obliqui: in mulieribus verò lati, recti & breues veſicæ (25. *fig. α.*) implantantur.

Tunicas habẽt geminas, vnã propriam, alteram à peritonæo enatam.

Vaſa, à vicinis obtinent partibus.

Vſus horum, vt vrinam cum tenui bilioſo excremẽto, ex renibus ad veſicam deferant, per quos & Renales calculi feruntur.

DE VESICA vrinaria.

CAPVT XXV.

Huc faciunt libri quinti figu. 22. 23. 25. & 26.

VESICA,

VESICA, κύστις καὶ κύστις οὐροδόχος, vrinæ receptaculum eſt, in imo ventre ea abdominis cauitate quam os ſacrum & pubis oſſa efformant, ſupra inteſtinum rectum in viris, in mulieribus verò, ſupra vteri ceruicem, locata: tum quia capacitas nulla in ſuperioribus relinquebatur, tum quia excrementorum eductoria ad imas partes locata eſſe conueniebat.

Diuiditur in fundum (22. & 23. v.) & collum (*circa* ξ) Fundi appellatio, toti id quod intra cauitatem ventris continetur, competit: cuius ſubſtantia partim neruoſa, partim carnoſa, duplici tunica, vna interiore propria, cui omne fibrarum genus, monente etiam Galeno, ineſt: altera exteriore, à peritonæo donata, qua mediante recto inteſtino in viris, mulieribus verò vteri ceruici, coxarum & pubis oſsibus hæret. Figura rotunda, oblõga, concaua (*26. fig. L.*) veterum vrnã referens & in ceruicem deſinens. In huius fundo, vtrinque membranula, Vreterũ inſertioni applicata, vrinę in

eos recessum impediens, notanda.

Vasa vtrinque tria obtinet, venas & arterias, ab Hypogastrica, per vesicã sursum dispersas, in viris: in mulieribus, à vasis quæ vteri ceruicem petũt (25.*fig.α.*) Neruos verò, à sexto cerebri pari & spinali medulla ossis sacri, recipit.

Ceruix seu collũ vesicæ, per quam vesica vel quãtitate lotij onerata, vel eius acrimonia stimulata sese exonerat, oblõgum angustum (23.*fig.o.*) & penè carneum, quod pudendo virili iungitur, cui duæ adsunt glandulæ (23.*fig.ζζ.*) prostatæ dictę, de quibus supra capite 23. Mulieribus verò, breue & latum est, ante ceruicẽ vteri parte anteriore (25.*fig.δ.*27.*L.*) implantatur.

Musculus Sphyncter dictus (ρ.) alijs sigmoides, orbicularis, circularibus fibris donatus, iuxta glandosum corpus, in viris ceruici circumfunditur. Mulieribus verò (25.*fig.y.*) quorum ceruici glandulæ prostatæ non adnascuntur, totum meatum ambit: huius musculi munus est, ne nobis

inuitis

inuitis vrina elabatur & vt reliquis cùm fluxerit expellat.

Vſus veſicæ, vrinam recipere, detinere & ſuo tempore expellere.

DE PENE.

CAPVT XXVI.

Huc facit præcipuè 49. capitis libri 2. tabula, quæ figuras quatuor habet: & 22. 23. libri 5. figuræ.

PENIS καυλὸς Græcis (de cuius nominibus in tractatu noſtro de partibus externis, multa fuêre dicta) ſua cuticula, cute & panniculo carnoſo denudatus, corpus eſt ſpongioſum, fiſtuloſum, ad vrinam ac ſemen excernendum aptiſsimum.

Ex duobus potiſsimùm corporibus *(A.B. & fig. 22. 23. S.T.)* ſpongioſis, raris *(E E.)* poroſis, quo erigi & flacceſſere poſsit, ſanguine craſſo, nigro plenis (vnde nigra apparet) tactu exquiſito præditis conſtituitur: hi aliquibus, Nerui cauernoſi: alijs, canales ligamentoſi, dicuntur.

Oriuntur autem, vt & Penis, ab inferiore oſsis pubis parte *(CC.)* neruoſi, qui

ſi, qui ſupernè in medio pubis oſſe *(F.)* iunguntur: infernè verò, tantum à ſe inuicem diſsiti ſunt, quantum canali *(G.)* penis perficiendo, ſatis eſt.

Canalis autē penis, *(G.)* ſeu cōmunis ſeminis atq; vrinæ ductus *(23. fig. Φ.)* quem calamo ſcriptorio aliqui aſſimulant, ſub hiſce corporibus poſitus, ſecundum longitudinem penis producitur. Hic licet quibuſdam exiſtimetur ſubſtātia, à veſicę collo enata, propter neruoſam ſuam ſubſtantiam, cuius nomine duplici tunica donari dicitur, altera interna membranoſa tenui, ſenſus exactiſsimi: altera externa carnoſa, ad vrinæ & ſeminis expulſionem, ex fibris tranſuerſis conflata. Verùm quamuis extrinſecus & intrinſecus neruoſa, ſolidioreq; membrana cōſtare videatur, media tamen eius ſubſtantia, non aliter quàm in penis corporibus laxa, fungoſa, ac nigricans apparet, & id quo ſimùl cum pene ſpiritu diſtendi ac rigeſcere poſsit, ad craſsi ſeminis eiaculationem, cumq; eodem concidere ac flacceſcere ad vrinæ commo-

diorem excretionem.

Sed & interna in parte, quosdam veluti circulos habet, ad similitudinē eorum, qui in aspera arteria vidētur, quorum beneficio contrahi & extēdi posse, aliqui credunt.

Summa penis pars tumēs *(D)* glās, βάλανος dicitur, ex simpliciore & magis sensili carne constans. Decoratur autem cute, qua tegi & retegi potest, ἀπόσθη, pręputiū dicitur: cuius vsus, vt penem tegendo, leuem mollemq́;, asseruet: in huius medio foramen, quod οὐρήθρα (quo nomine & canalis donatur) dicunt, qua de re plura in tract. part. externarum.

Musculis quatuor (quibusdā sex) donatur, quorum duo priores collaterales, nimirum *(K. L.)* à coxendicis appendice sub penis exortu, neruosi oriūtur, breues quidem, sed alĳs carnosiores, in penis corpus carnosi desinētes: horum præcipuum munus, penem in congressu erectum sustinere. Alĳ duo inferiores nimirum *(H. I.)* à rotundo ani musculo (*M. & 51. cap. fig. D.*) carnei oriuntur & ar-

ctissimè

ctiſsimè iuncti in penis canalem maiori ex parte implantantur: horum vſus, vt canalem cùm ſemen, vel vrina emittenda eſt, breuiorem, ſed latiorē reddant.

Vaſa duplicia, alia cutanea (22. & 23. *fig. v v.*) ab hypogaſtrica & pudenda: alia per corpus diſtribuuntur, vt arteriæ geminę, quæ ſatis grandes in penis corpus inſeruntur. Nerui verò duo, à ſacro oſſe, qui ad latera mittuntur.

Vſus eſt, excretioni vrinæ inſeruire & ſemen in vterum immittere.

DE ANO ſeu PODICE.

CAPVT XXVII.

Huc referri poteſt libri ſecundi capitis quinquageſimi primi figura: & libri quinti figura octaua.

ANVS ἕδρα & δακτύλιον, annulus: recti inteſtini (*A.*) finis eſt, qui tribus muſculis donatur, quorum primus orbicularis (E. 8. *fig. a.*) in extremo inteſtini locatus, fibris trāſuerſis conſtat: huius vſus, vt inteſtini finem ſtringat, vnde σφιγκτήρ, quaſi

ſtrictor dicitur, ne nobis inuitis fęces, aut flatus, aliud vé excidat, & quemadmodũ tum contractus eſt, ita dum excernimus, laxatur. Duo alij lati (*B. C. 8. fig. b. c.*) mẽbranoſi, ab ilij coxendicis & oſsis ſacris ligamentis orti, in ſuperiorem muſculi orbicularis partem, finiunt: quorum vſus vt podicẽ laxatum poſt egeſtionem, ſurſum retrahant.

DE HEPATE.

CAPVT XXIIX.

Ad capitis huius intellectum faciunt libri quinti figuræ, duodecima, decima octaua, vigeſima, & vigeſima ſecunda: potiſsimùm verò figura decima octaua.

ΗΠΑΡ, Latine Iecur, quod venarum principium & primum ſanguinis generandi inſtrumentũ Anatomicis ſtatuitur: dicimus nil aliud eſſe quàm Parenchyma, ſeu ſanguinem è venis effuſum, ipſiſq; circũfuſum & concretum. Cùm enim ſanguinea ſubſtantia, hepar vt & cor indigeant, quam per vaſa afferri neceſſe eſt, idcirco vaſa, quæ ad viſcerum procrea-

procreationem ſanguinem adferre debent, primo generabũtur: ſecundo autem loco poſt ipſa, cor & iecur, vt elegãter Galenus, lib. de formatione fœtus cap. 5. Huius potiſſima pars in dextro hypochondrio ſub diaphragmate, cui aliquando contiguum, ſita eſt. Hoc in homine integrum exiſtit, cũ nuſquam, quã in anteriori parte, quo loci ſciſſura (12. *fig. M.*) pro vmbilicali vena fabricata eſt, diuidatur: in brutis verò in fibras (ſeu λόβους, pinnáſue) tres, quatuor, quinq;, ſex & ſeptẽ diuiditur, quo ventriculum, tanquam digitis complectatur. In homine etiã parte ſiniſtra, vbi ſuperiori ventriculi orificio cõtinuatur, ſinũ (12. *fig.* Φ. 18. I. 20. E.) efficit, quo ſtomacho cedat.

Figura ipſius exterior (18. *fig. A. A. B. B.*) gibba & rotunda (vnde venam cauam exoriri ſtatuunt) quo loci ſinus oblõgus, ad caudicis (18. *fig. D. E.*) venę cauę adpoſitionẽ cernitur: interior verò caua (12. *fig. I. K.* 20. *B. B.*) ex qua venã portam (18. *fig. H.* 20. *G G*) ortum ducere volunt, & has

duas venas Hippocrates lib. de re-ſectione, Apices vocat: quarum radices, vt voluit Galenus, arctiſſimis venarum oſculis coëunt.

Tunicam obtinuit tenuiſſimã, q̃ à Venarũ altera mẽbrana à Peritonęo exorta, prodit: in quã (12. *fig. T.* 20. *K. M.*) neruulus, tum à coſtali, tũ à ſtomachico inſeritur. Plurimis aũt venis, quę elegãter conſpiciuntur ſi hepatis caro abſtrahatur & ab ijs ſeparetur, quemadmodũ eas hacte-nus in noſtris Anatomijs, oſtendimus: arterijs (20. *fig. L.*) verò, ad caloris natiui ſymmetriam toti viſceri conſeruandã, paucioribus & minutiſſimis, ſimam ipſius partẽ petentibus, donatur: mutuã enim ſibi dant operã & venæ & arteriæ. Hæ quidẽ illis ſpiritum, illæ autẽ his per meatus anguſtiſſimos, ſanguinẽ rependunt: ſiquidem venas cum arterijs συναναστομῶσθαι in toto corpore, ex Galeno conſtat.

Ligamentis tribus validis, nectitur alijs partibus: primũ, eſt mẽbranoſum, validũ, mediante, quo carti-lagini

lagini ensiformi & costarum cartilaginibus alligatur (18.*fig. F.* 20.*d.*) & suspensoriũ dicitur. Alterũ, vena est vmbilicalis (20.*fig.D.*) quo abdomini nectitur. Tertiũ, ad latus sinistrũ à peritonęo ortũ (18. *fig. G.* 12. *O.* 20.*C.* 22.*e.*) quo septo alligatur.

Vsus hepatis est, calore suo venas fouere, sine quo sanguificatio rectè perfici non potest: ex communi Anatomicorũ verò sententia, est sanguificationis officina.

DE VESICA Bilaria.

CAPVT XXIX.

Huc licet faciat libri quinti figura decimatertia, tamen cùm hæc non quadret huic nostræ sententiæ, proximè vnà cũ aliquot nouis figuris, diuersam à Vesalij figura, huius vesicæ iconem dabimus.

VESICA bilaria (*V*) quæ κύστις χολήδοχος, bilis flauę syncerę receptaculũ, in caua iecoris, eaque dextra parte locata. Substantia est membronosa, omni fibrarũ genere donata (aliũ enim habet à peritonæo villis expertem) figura, ro-

tunda, oblonga (ex communi ſententia) quæ ſenſim ad ipſius fundi vſq; apicem dilatetur: verũ ita ſe res habet, vbi ceruix vel potius meatꝰ, qui à veſicula(*b*)ad porum bilarium (*c*) procedit, incipit, ſinus quidam exiſtit (quẽ tanquã peculiarẽ, iuxta veſicæ orificium locatum, notáre conuenit)ita vt veſica, pyri latum ac orbiculatum conum habentis figuram, repræſentet.

Venas habet,(*g*) à porta, cyſticas gemellas dictas Arterias(*e*)à cœliaca: neruos(*f*) à coſtali dextro. Diuiditur in fundum, ceruicẽ & meatus bilem deferentes Fundus, pariter in viuente ac demortuo corpore, non ſuperiora, vt pingitur figura 13. ſed inferiora: ceruix verò, ſuperiora reſpicit, ita vt nõ ſit via recta à veſicula ad duodenum, vt plerique Anatomici & pingunt, & ſtatuunt: nec rectà bilis fertur à veſicula ad duodenum: verùm meatus à veſiculæ bilis ceruice ad duodenum, ſemicircularem ferè ac obliquam præ ſe fert figuram, vt apparet, dum

Hepar

Hepar in naturali ſitu eſt.

Meatus duplices, qui bilem deferunt, exiſtunt, cùm bilioſum excremētum ab hepate bifariam expurgetur, impermiſtum nimirum & ſyncerum: dein permiſtum & craſſum, ex Galeni 4. de vſu part. 12. & 13.5. eiuſdem lib. 6. præſertim 6. de admin. anato. 2. ſententia.

Bilem enim impermiſtam exacteque ſynceram, vaſa in hepar immiſſa & quidem exigua, vt innumerum ramorum ſeriem conſtituant, ad ſe trahunt & in veſiculam deferunt.

Bilioſum verò craſſum & permiſtum excremētum, vas quod ab hepate ad duodenum abit, trahit, quod ipſius vaſis (quod porus ſeu meatus biliaris, πόρος χοληδόχος dici poteſt) ſtructura ſeu magnitudo, indicat. Hic enim meatus, qui ab hepate ad duodeni finem, ieiuni'ue principium (*Z. fig. 7. lib. 5.*) defertur (in quod obliquè inter vtramque tunicam inſeritur, quo bilem eo, ad inteſtina ad excretionem irritan-

dam deferat) ratione exiguorum magnus & amplus est, ita vt facilè specillum admittat: qui verò à vesica ad diuaricationem (*b*) tendit, arctissimas & tenuiss. ita vt specillum tenuissimum non admittat (nisi magna vi adigendo perfores) præcipuæ vbi mēbranulæ bilis regressum impedientes, circa ceruicem extant. Hoc patebit ei, qui & vas id quod ab hepate & præsertim quod à vesica (iuxta nouum illum sinum) procedit, ad exortum vsque denudarit: dein vesicam secundum longitudinem aperuerit, & specillum à duodeni foramine immiserit.

Galenus 2. Temp. 8. meatum à vesica in fundum ventriculi inseri voluit, qui tamen in paucissimis reperitur: nec dubiū, in ijs qui singulo triduo (vt Spiræ familiā esse audio) bilem satis copiosam reuomunt, dari. Verum quidem est, porum bilarium sæpè bifidum in duodenum implantatum, inueniri.

Lubet ad alteram sententiam ascribere, sunt qui volūt meatus per

hepatis

hepatis corpus ſparſos eſſe, qui dein vniti porum cõſtituunt bilariũ, cuius duo ſint proceſſus: alter in inteſtinum, alter verò in veſiculam, illum rectà, obliqua tamen inſertione, ad inteſtinum bilem deferre: cùm verò hoc excrementum non ſemper inteſtinis ſit vtile, præſertim tempore illo, quo chylum continent, idcirco ne excrementum hoc in hepar regurgitet, veſiculã hanc creatã eſſe, quę humorẽ à meatu occluſo ob inteſtinorum repletionem, refluẽtem, per alterum proceſſum, recipiat & contineat, donec aperto meatu in inteſtini cauum, cùm opus eſt, ſe exoneret.

Communis tum ſententia eſt, veſiculã bilem ab hepate per meatum ſuperiorem, ſuſcipere: & per meatum inferiorẽ & maiorem depulſam, ex eadem veſicula, bilem in inteſtina deferre.

DE LIENE.

CAPVT XXX.

Explicant hoc caput, libri quinti figura decima nona & vigeſima.

LIEN,

LIEN, σπλὴν seu splē, sanguinis fœculenti in hepate geniti, ex plerorumq; sentētia, receptaculum: aliis verò, veluti alterum hepar & hęmatoseos officina: vt plurimũ vnus, rariùs duo vel tres, sibi inuicem impositi. In sinistro hypochondrio (20. *fig. O.O.*) sub diaphragmate & costis locatur, ac magnitudine & colore variat.

Substantia rara (*I.K.*) porosa & spōgiosa, quo facilius crassos humores ab hepate recipiat, huius caro etiam παρένχυμα vocatur. Figura oblonga, extrinsecus aliquantulum gibba (19. *fig. tres imagines*) qua costarum extrema spectat, à quibus sæpiùs impressiones quatuor habet: interius, qua ventriculum spectat, concaua (*D.E. F.G.*) & humano vestigio Hippocrati simile: circa cuius medium linea visitur alba (*H.H.* 20. *P.*) in quam vasa eius inseruntur, venæ nimirum, à vena porta: arterię numerosæ & magnę ab arteria cæliaca (20. *fig. S.*) Hæ, rarum Lienis parenchyma tuentur, suo motu perpetuo calorem insitum cu-

stodiunt:

ſtodiunt:ipſa diaſtole recreant & ſpiritus renouãt:ſicut ſyſtole, fuliginoſa excremẽta, quę hîc propter humorũ craſsitiẽ quãplurima ſunt,expellunt: quod officium illis à natura vbique eſt inditum. Neruulum exilẽ, à ſexta coniugatione, coſtali nimirum ſiniſtro,obtinet, qui ad tunicam,qua inueſtitur, mittitur,que non modò tunica,ſed & vinculum exiſtit,quo lien peritonęo, & mediante omento *(B. B.)* ventriculo connectitur.

Duos habet meatus, vnum veluti porum, nimirũ ramum ſplenicũ*(F.in ven.por.)*quo ſanguinem in ſe recondit:alterum verò vas breue*(X.)*eſt(de quibus in vena porta) per quod ſanguis melancholicus acidus ad ventriculum defertur , vnde vomitiones nigræ aliquando contingunt: ſic etiam hic humor, ſæpè per arterias ſplenicas ad renes defertur, hinc non malè in affectibus melancholicis,naturam imitantes , diureticis vtimur.

Vſus lienis:alĳs, vt humorem melancholicum,craſſum terrenumq; ab hepate ſuſcipiat,& eius portionẽ ad

ventriculi corroborationem aman-det: alijs, quasi alterū hepar videtur, qui crassiorem sanguinis partem e-laboret.

DE VENTRICVLO.

CAPVT XXXI.

Decimaquarta & decimaquinta libri quinti figura, totum vētriculum cum œso-phago ostendunt, illa anteriorem: hæc verò posteriorem sedem explicat: decimasexta verò figura, inuersum: decimaseptima, tu-nicas eius proponit.

VENTRICVLVS, tanquā par-uus venter qui κοιλία Aristote-li, alijs γαστὴρ: cibi & potus est receptaculū, in superiori abdomi-nis parte proximè sub septo, in me-dio ferè corpore situatus (*6. & 12. figura lib. 5. situm ostendunt*) cuius ta-men maior pars sinistrum occupat hypochondrium, vt hepatis pōdus ad lienē compensetur: vel, vt hepati cedat: posterior verò pars, spinæ in-sidet. Figura oblonga, rotunda, pro-pter capacitatem, barbylo pastorio similis.

Duo-

Duobus donatur orificijs, sinistro nimirum seu superiore (*G.*) circa vndecimam thoracis vertebram, ex substantia ventriculi multo crassiore constans, quod cibū potumq; ab ore præparatos, recipit. Hippocrati καρδία, id est, cor (quod huius affectus, cordis affectibus sint similes) Galeno os ventriculi vocatur, quod altero ob cibos non probè mansos maius est, & qua œsophago continuatur circulus (16.*h.*) cōspicitur. Dextrum verò seu inferius (*H.*) πύλωρος, seu ianitor dictus, quod ianitoris instar, tantisper obturatū vētriculū retineat, donec cib. totus Galen. 3. natural. facult. authore, sit confectus, cuius nomine superiore est angustius, quo confecto ad intestina ostij modo emittat: iuxta quod glandulosa duo tubercula Galeno, vel potius circulus (16.*k.*) (qui aliquando Scirrhū patitur) obseruatur, ne quid ante concoctionē elabatur, cuius etiam nomine superiora spectat: posteà rectà deorsum in duodenum (*P.*) vergit: si enim circum-

cumuolueretur, obstructiones pateretur.

Tunicis tribus donatur: prima quę extima (*K.*) à peritoneo enata, cui fibræ sunt rectæ: altera (*l.*) quę exterior & carnosior Galeno, in crassitie sibi vbique æqualis, & sequēti immediatè annexa: tertia (*m.*) quę interior & membranosior eidē, quę diuersis fibris constant, quo in omnē extendi possint dimensionem: illi tamen rectas, quibus obliquæ sint intertextæ, ad attractionē & retentionem: huic verò transuersas, ad expulsionem fibras, Galenus tribuit. Est autem interna tunica rugosa (*vt patet ex 16. fig.*) fortè ad dilatationē, in ruminantibus animalibus aspera: hinc adeò vehemētes ventriculi dolores, ob pituitam inter has rugas collectam: hæc, crusta carnea, in cocto ventriculo magis conspicua, ad multos vsus, donatur.

Vasa etiam obtinuit: venas sex (*a.b.c.d.e.f.g.g.*) à vena porta, de quibus eo loci, partim fundum, partim superius

ſuperius orificium perreptantes, ſanguinemq́; pro nutritione deferentes. Arterias verò, ab arteriæ magnæ ramo cœliaco vitalis roboris gratia. Neruos verò habet geminos, à tertio & ſeptimo ramo, ſexti paris cerebri, dextrũ & ſiniſtrum, qui ita ſe interſecantur, vt dexter ſiniſtram, & anteriorem partem (14. *fig.T.*) ſiniſter, dextram & poſteriorem orificij vẽtriculi ſedem (15. *fig.V.*) implicet: hi ramos deorſum mittũt, per quos vis ſenſifica affluit qua indigentiam ſentit, & ipſius cũ cerebro ſummus conſenſus fit, vt altero affecto, alterũ compatiatur. Huic etiam iuſta ſecundum Hippocratem natura, vtrinque membra appoſuit, quæ concoctionem adiuuarent: parte quidẽ anteriore, omẽtum & abdominis muſculos: parte verò poſteriore, muſculos ſpinam tegentes.

Vſus ventriculi eſt, vt cibi potusq́ue ſit receptaculum & chyloſeos officina.

DE MVSCVLIS IN Abdominis concauitate sitis.

CAPVT XXXII.

Huc facit septima & octaua tabula musculorum, libri secundi.

IN abdominis concauitate, prędictis omnibus remotis, conspiciuntur adhuc musculi, Nerui & ossa. Musculorum paria duo: primum est, femur mouentium sextũ (7.*muscul.tab.t.*& 8.*a* Θ *b*) Lumbares seu ψόαι dicti: alterũ est femur mouentium septimum (7.*tab x.*& 8.Λ) de quibus in historia musculorum femoris.

DE NERVIS Abdominis.

CAPVT XXXIII.

Huc facit libri quarti tabula prima.

NERVI per abdomen qui feruntur, duûm sunt generum: alij à sexto cerebri pari prodeunt, à quo ad omnia in abdomine contenta viscera, ramuli mittuntur, de quibus in Thoracis historia sermo erit. Alij verò à spinali medulla

dulla prodeunt: & hi duplices ſunt, alij Lumborũ, alij oſſis ſacri. Lumborum aliquando quinq;, aliquando verò paria quatuor (*Neruorum tab. 1. lib. 4. Spinalem medullam cum neruis inter 19. & 24. exprimit.*) Oſſis ſacri paria ſex (*tab. 1. inter 24. ad 30.*) de quibus in ſpinalis medullæ hiſtoria.

DE OSSIBVS Abdominis.

CAPVT XXXIV.

Huc faciunt libri primi figuræ tres, & capitis vigeſimi noni figuræ tres.

OSSA deniq; in imo occurrunt vẽtre, in poſtica quidem parte ſunt Lumborum vertebræ quinq; (*ab L. ad M.*) omnium maximæ & craſſiſſimæ: quarum prima, νεφρίτης à renib⁹ dicta: vltima, quę aliquibus ἀσφαλίτης, id eſt, fulciens & firmans dicitur, in os latum (*M*) deſinit.

Latum autẽ os (*ab M. ad N.*) quod grande & amplum ſit ἱερὸν ſacrũ dicitur, ex oſſibus ſex (*A B C D E F. fig.*

1.*cap.*18.*lib.*1.)compoſitum, cuius cõnexum mirabiliter in partu aperiri aliqui volunt, quo os ſacrũ foràs longius excurrens, locum ampliorem det fœtui, quod ratione cartilaginis ligamentoſæ, quæ parte inferna, inter vltimam lumborũ vertebram & os ſacrum, præſertim in mulieribus paruis, interponitur, fieri poteſt.

Huius imo, aliud os ſubeſt, ex tribus vel quatuor oſſibus (*G.H.I.K.fig.* 1.*&* 3.*cap.*18.*lib.*1.)conſtans, quod κόκκυξ, coccygis os (*N*) dicitur: & hoc, alijs dicitur in partu retrò cedere.

Ab oſſe ſacro, proceſſus quidam recti magnique anterius circa latus vtrumq; prodeunt, quibus duo oſſa annectuntur, quæ pro diuerſitate locorum, diuerſa obtinẽt nomina. Horum enim partes ſuperiores & latiores, ὀστᾶ λαγώνων, oſſa ilium(*O.&* *fig.*3.*A.B.C C.D D.E.F.G.*) dicuntur. Inferiores verò & exteriores partes, ad femoris ingreſſum, ἰσχία coxæ aut coxendicis oſſa (ϖ) nominãtur: antrorſum

antrorſum verò ſunt tenuia, perforata(r) atque in extremo ambitu(u) per συνχόνδρωσιν, id eſt, cartilagine media(ς)connectuntur: hæc cartilago in recens fœtis aut parturientib. mollior eſt & laxior,vt vi parua ſecando facilè ſeparetur: imò quãdoque etiam laxari ſolet, vt bis in cadaueribus puerperarum obſeruauimus, quod qui inquirere volet,in modò fœtis id faciat,oportet. Dicuntur autem hæc oſſa, Galeno ἐπίσχια,oſſa pubis (ϱ) aut pectinis. Sed de his fuſiùs in Oſteologia dicetur.

Hactenus de Abdomine.

LIBRI PRIMI
FINIS.

DE VENTRE SE-CVNDO THO-RACE DICTO.

LIBER SECVNDVS.



ABSOLVTO primo vẽtre, qui naturalium eſt partium, nũc medium ventrẽ THORACEM videlicet, qui partium eſt vitalium, pertractemus: ad quẽ, Collum etiam propter ſectionis Methodum referemus.

Eſt autem Thorax proprio in ſignificato pars ea quæ clauiculis & caſtis vndique circumſcribitur, & mediante diaphragmate, ab abdomine ſeparatur.

Diuiditur in partem anteriorem, quæ στῆθος pectus dicitur: partes laterales, quæ πλευρὰ latera, & partem poſteriorem, quæ νῶτον dorſum & μετάφρενον dicitur: qua de re in primo noſtræ Anatomes libro qui de partibus eſt externis.

Totius autẽ Thoracis, vt & colli partes,

partes, aliæ ſunt continentes, aliæ contentæ. Continentes aliæ cõmunes, aliæ propriæ. Communes ſunt cuticula, cutis, Pinguedo & Panniculus carnoſus, quibus & muſculorum tunica addi poteſt, de quibus in abdominis hiſtoria. Propriæ, aliæ ſunt Thoracis, aliæ colli: Thoracis ſunt muſculi, oſſa & mẽbranę. Colli verò muſculi, parte tàm poſteriore quàm lateralibus, de quibus inter muſculos, lib. 4. dicetur. Sed huius libri capita tabella, nobis proponit.

DE PARTIBVS THORACIS propriys, & primùm

DE MVSCVLIS.

CAPVT PRIMVM.

MVSCVLI Thoracem inueſtiẽtes, duplices ſunt, alij thoracem quidẽ integunt, & ab eo originẽ ducũt, ſed aliarũ partium ſunt motores, primiq́ue occurrunt: alij verò thoracis ſunt proprij. Illorũ vtrinque tres ſunt.

Pectoralis (1. *tab.L.* 3. *tab.* Δ.) qui ab extima parte clauiculæ & latere sterni oritur, ac in os brachij inter musculos bicipitem & deltoidem inseritur. Huius officium brachium ad pectus adducere, de quo in brachij historia plura. Est autem Vesalio, Columbo & Fallopio, primus brachij musculus.

Serratus maior (1. *tab. O. O. O.* 6. *tab.R.* 7. *tab.L.*) quòd serræ instar incisuras habeat: hic ex tota Scapulæ basi carnosus enatus, octo superioribus costis, quandoque nonæ, antequam in cartilaginem finiant, inseritur (de quo in musculorũ Thoracis historia) huius munus est, thoracem dilatare, Syluio verò antrorsum Scapulam mouere: Vesalio, Columbo, Fallopio, secundus thoracis musculus est.

Serratus minor (4. *tab.* K. 5. *tab.* Γ.) vel scapulam mouentium musculus primus, à quinque superioribus costis enascitur & iuxta scapulam in processum coracoidem internum, implantatur.

Proprij

Proprij verò Thoracis muſculi, rurſum ſunt duplices: alij coſtis incũbunt, inq; homine ſex ſunt: primus apud Veſalium, ſubclauius (4.*tab.d.*) dicatur: ſecũdus (1.*tab.O.O.O.*) ſerratus maior: tertius (11.*tab.F.*) ſerratus poſticus ſuperior: quartus (12.*tab.*Δ.) ſacrolũbus: quintus (11.*tab.*Δ.) ſerratus poſticus inferior: ſextus (8.*tab.β.*) triangularis, de quibus libro quarto. Alij verò inter coſtas ſiti ſunt, ipſisq; intertexti, nimirũ Intercoſtales, earundemq; cartilagines, nimirum Intercartilaginei, ex Veſalij, non autem Fallopij ſententia.

Intercoſtales qui μεσόπλευροι, alij ſunt Interni, alij Externi: ſic dicti, quod media inter coſtas ſpacia occupent. Interni ſunt vndecim, externi totidẽ. Inter quodlibet enim coſtæ ſpaciũ, vtrinq; duo ſunt muſculi, qui mutuo ſibi incumbunt, ac fibris cõtrarijs *(vt patet ex tab.8.D E)* ad literæ X ſimilitudinem, ſe interſecant.

Externi (*6.tab.V.*) ex inferiore coſtæ parte ortũ habent & obliquè coſtæ in parte ſuperiore inſeruntur, &

vbi coſtarum partes oſſeæ cartilagini iunguntur, finiunt.

Interni verò (8. *tab. E. E.*) contrariũ ſitũ obtinent, & ut priores circa cartilagines, ex Veſalij ſentẽtia finiunt: cũ tamen interiores nõ tantũ coſtarum ut fecerant externi, ſed etiã cartilaginum ſpacia impleant.

Intercartilaginei Veſalio alij Interni ſex numero: alij externi (6. *tab. X.*) qui totidẽ. Hoc Veſalius ex cõtrario fibrarũ ſitu (*vt patere vult ex 6. tab. V. X.*) qui eſt inter coſtarũ & inter cartilaginũ ſpatia, deſumit. Verum quod extrinſecus inter coſtas & cartilagines diuerſæ fibræ appareãt, fit ratione Intercoſtaliũ internorũ: qui etiã cartilaginũ ſpacia implent: quod verò intrinſecus diuerſæ etiã appareãt fibrę, id propter ſextũ Thoracis muſculum, qui triangularis dicitur, qui toti pectoris oſſi & cartilaginibus ſubtenſus eſt, ut eleganter Fallopius oſtendit. Horũ omniũ munus dicitur Coſtas in inſpiratione, deducere: & in exſpiratione, adducere. Cogitandũ venit, an inter coſtales muſculi,

sculi, à costis exorti, quę cõtinuo motu simul dilatãtur, aut cõstringũtur, costas quibus inserũtur, moueãt, ac thoracis motibus inseruiãt: an potius dicere liceat, duas esse mẽbranas ligamẽtales, à costarũ substantia ortas, vario fibrarũ ductu intertextas, obliquè per costas natura ductas ad earum connexionẽ & robur: nõ aũt ad voluntariũ motum datas, quibus aliquid carnis, pro earundẽ, ac thoracis calore fouẽdo, spatijsq; replẽdis, interpositũ sit, atq; etiã ne nerui à spinali medulla, cuilibet costarum interstitio destinati simul cũ membranis facilè collidantur.]

DE CLAVICVLIS, CAPVT II.

Huc faciunt libri primi, capitis vigesimi secundi, figuræ tres, & eiusdem libri figuræ tres, vniuersum sceleton exprimentes: vt & prima & quarta musculorum tabula.

CLAVICVLAE, κλεῖδες, alijs ligulæ, vtrinq; vna: ossa sunt sub imo collo cũ pectoris osse cõmissa, ne humeri scapulæúe in pectus cadãt, prohibentia: & quia scapulas

pulas cũ sterno concludunt, Claues dicũtur. Vulgo, os furculę & furcula superior.(*1.& 2.oss.tab. Q.1.musc. tab.1.4.tab.a.*)

DE COSTIS.
CAPVT III.

Huc facit libri primi capitis deciminoni figura 1.2.3.4.& 5:& tres eiusdẽ libri figuræ vniuersum Sceleton exprimentes & 5.6.& 8.musculorum tabula.

COSTAE, quæ Græcis πλευραὶ, cõmuniter in homine sunt viginti quatuor, vtrinq; duodecim, rarius plures, rarissimè pauciores visuntur (*tribus ossiũ tab. & fig.1. cap.19. notis duodecim numeralib. notantur.*) Plures enim costæ sunt, quò faciliùs musculorum beneficio thorax dilatetur & constringatur, quod commodè non fieret, si ex vno osse constaret. Diuiduntur autem in Veras & Nothas.

Veræ, quæ ἀληθεῖς & perfectę, quod circulum perficiant & sterno (*5.tab. musc.g.*) suis cartilaginibus (*6.tab.musc. T.*) iũgantur & vertebris dorsi (*3.fig. cap.19.a.*) articulẽtur. Sũt aũt septẽ,

cæq;

eęq́; superiores, rariùs enim octaua, cartilaginis mucronatæ radicibus alligatur. Harũ duæ primę Polluci ἀντιστρεφοὶ: sequentes duæ, à firmitate στεϱεαὶ: post has, aliæ duæ στεϱνιτίδες: reliquę duæ, παϱάστυϱοι.

Nothæ verò, quæ ῥώαι imperfectæ & recentioribus mendosę, quod solis vertebris annectãtur & in thoracis lateribus desinãt, ad pectoris verò os (1. *fig. cap.* 19. *F.F.*) non pertingãt: idq́; tũ propter ventriculi intensionẽ, tum propter abdominis extuberantiã, tũ deniq; propter vteri gestationẽ: hæc enim, si perfectæ essent costæ, impedirẽtur. Sunt aũt plerũq; quinq;, eæq́; inferiores. Hæ, cũ plus ex cartilagine quàm osse constent, molliores sunt & flexibiliores, quare simpliciter χόνδϱον dixerunt.

Vsus costarum est, ut pectori sint firmamentum, & ut eis musculi respirationi inseruientes, commodè implantentur.

DE

DE STERNO SEV osse pectoris.

CAPVT IV.

Huc facit libri primi, figura prima & secũda vniuersum Sceletõ exprimẽtes et capitis deciminoni figura prima: potißimum aũt sexta & septima figura eiusdẽ capitis libri primi & libri sexti figura secunda.

STERNON, Latinis pectus; vel os pectoris (*1. & 2. oß. tab. O. 4. muſ. tab. 1. 5. tab. g.*) anterior thoracis pars eſt, ex tribus (*fig. 1. cap. 19. à g. ad h primum pectoris os indicatur: h verò ad i vſq; secũdũ: i ad k vſq; tertiũ.*) secundũ verò Galenũ ex ſeptẽ (*sexta figura aliquo pacto innuit*) oſsibus in adultioribus conſtans, hinc interdũ in pueris oſsiũ diſtinctiones apparent, quæ per vnionẽ mutuo coaleſcũt (*6. fig. γ. δ. ε.*) quibus, mediãtibus cartilaginibus, ſeptẽ verę coſtę continuantur (*6. fig. p. u. χ. γ. ζ. α. β.*) & licet pauciora ſint oſſa, latiora tamẽ ſunt (*vt oſtendit fig. 1. cap. 19.*) vt ſeptẽ coſtis excipiendis ſufficiant.

Quemadmodum verò in ſumma Sterni parte cartilago eſt, quæ Latinis,

nis, furcula ſuperior dicitur, ita etiã ad huius finẽ, Cartilago adhæreſcit mobilis & quaſi triangularis (1. & 2. oſ. tab. P. 6. & 7. fig. η.) quæ in mucronem gladij modo exacuitur, vnde Græcis ξιφοειδῆ: id eſt, enſiformis & mucronata dicitur: vulgo & Arabibus, malũ punicũ ſeu granatum: hoc aliquãdo duplex eſt & aliquãdo propter venas mammarias perforatur. Cartilaginis huius vſus eſt, vt oris Vẽtriculi exiſtat propugnaculũ (vnde quibuſdã. Clypeus oris ſtomachi dicitur) vel potius ſepti tranſuerſi.

Cauitas etiam hoc loci conſpicitur, quæ antiquis καρδία cor & προκάρδιον, cordis Scrobiculus alijs dicitur.

DE DIAPHRAGMATE seu Septo tranſuerſo.

CAPVT V

Ad huius explicationem libri ſecundi, tabula 7: & prima, ſecũda, tertia & quarta figura libri ſexti.

OCTVAGESIMVS nonus reſpirationis Muſculus, vtrique Thoracis lateri cõmunis eſt & διάφραγμα, ſeptũ trãſuerſum Celſo,

ſo, quod partes naturales à vitalibus ſeparet, dicitur: veteres Φρένας, id eſt, mentem, quod eo inflãmato mens lædatur, dixerunt: Præcordia, Plinio.

Eſt aũt muſculus (qui rarã inter totius corporis muſculos, ſtincturã habet) circularis propemodũ figuræ, unicus, ab infimis thoracis vertebris exortus, tóti thoracis circumferẽtię (*1.fig.I.I.2.fig.R.R.*) ab interna parte & cartilagini mucronatæ (*2.fig.S.*) circũtenſus, ventrem infimũ à medio ſeparans. Huius ſubſtãtia partim carnoſa (*quod exterius hos characteres in 7.muſ.tab.K.l.m.n.ambit.*) circa exortũ fibris interſtincta: partim neruoſa (*ead.tab.Δ.cuius circulus mẽbraneus lit.K.l.m.n.circumſcribitur*) circa mediũ, quod alij caput, nos tendinẽ dicimus, cũ huius beneficio etiã pulmones moueantur: & fibris verſus vertebras ad ſuum principium retractis, exſpirationi inſeruiat.

Duas de ſe mittit portiones carneas (*7.tab.o.p.3.fig.ſub H.4.fig.ſub Q.*) quas ligamẽta, ſeu tendines Veſalius dixit, quæ ſupremis lumborũ vertebris inſeruntur. Dua-

Duabus membranis ſuccingitur, altera inferiore à peritonæo: altera ſuperiore, à pleura exorta.

Foramina duo obtinuit, vnum à dextris (*7. muſ. tab. ſ.*) quo venæ cauæ truncũ tranſmitteret: alterũ à ſiniſtris, (*7. tab. r.*) per quod œſophagus, quẽ duo nerui comitantur, deſcendit. Tertium addunt alij, pro Arteriç magnæ & venæ ἄζυγος (*quorum orificia in 7. tab. q. indicat*) deſcenſu, quod diaphragmatis diuiſionẽ appellam9.

Vaſa etiam obtinuit: venas (*in tab. Venarum C.*) à vena caua: arterias, ab arteria magna (*tab. Arteria. I. 7. tab. q.*) Phrenicas dictas. Neruos (*1. fig. P. P. 3. fig. I. I.*) etiam duos inſignes ab infimis ceruicis vertebris, ex tribus (*b. e. m.*) ſurculis vtrinque (*2. neruor. fig. lib. 4. ca. 11. nn.*) conflatus, per totam ipſius ſubſtantiam (*2. neruor. fig. o. o.*) diſſeminatos.

Vſus præcipuus, vt reſpirationi inſeruiat, Galeno: verum in expiratione, dum cum abdominis muſculis agit, tenditur & contrahitur: in inſpiratione autẽ, laxatur & deorſum in-

clinatur: dein vt partes naturales à vitalibus separet, Platoni: tum ne vapores à cibo elati cor lædant, Aristotele monente: quamuis & fœtum, & vrinæ & fœtus expulsionem etiam adiuuet.

DE PLEVRA.

CAPVT VI.

PLEVRA, à costis quę πλευραὶ, nomen habet: Galeno πλευρα ὑποζωκῶς, succingens castas, mẽbrana dicitur.

Est autem membrana prætenuis, robusta tamen, neruosa, toti interno thoracis sinui subtensa, omnia in eo contenta complectens: quæ vbique, vt rectè Galenus, duplex est: cuius altera peritonæo crassior & densior ob continuum pulmonum motũ: altera verò tenuior, quæ costarum periostiũ est, & altera costas succingẽs membrana quibusdam dicitur, inter quas, vasa Intercostalia mittuntur, materiaq; Pleuritica sæpè colligitur.

Oritur à ligamentis vertebrarum thora-

thoracis, quo loci craſsior eſt & à coſtis omnino ſeparari poteſt.

Figura internæ thoracis ſuperficiei reſpondet.

Perforata eſt tot locis, per quot vaſa intrà thoracem admittit, vel extrà emittit.

Nutritur, viuit & ſentit beneficio vaſorum intercoſtalium: venis, à vena azygas: & intercoſtali ſuperiore: arterijs, ab arteria magna: neruis, à neruis vertebrarum thoracis productis.

Vſus eius, vt omnia mēbra in Thorace contenta, integat, & ea firmata colliget: dein ijs omnibus, tunicam communē præter propriã, impertiat.

DE MEDIASTINO ſeu membrana thoracem interdiuidente.

CAPVT VII.

Ad huius explicationem, libri ſexti figura prima & ſecunda, facit.

MEDIASTINVM, quaſi inter pulmones medium, Græcis ὑμὴν διαφράττων ſeu membrana

 inter-

intercipiens: tunica est Pleura multo mollior, quæ parte anteriore ipsi sterno (*dextra pars figu.2.G.G.H. sinistra pars I.I.K. & fig.1.H.H.L.M.N.O.*) posteriore spinæ vertebris adhæret, à summo thorace ad imum deducta, quo thoracem in longum diuidat, septoq; (*1.fig.K.*) adnata.

Originẽ ducit à pleura, quæ iuxta sterni latera vtrinq; spinam versus deorsum repit & reduplicata eam constituit. Interuallum (*2.figu.L L.*) licet aliquod sit, varijs tamen filamentis neruosis, intertexitur.

Venulas & arterias, à mammarijs venis & arterijs, obtinuit.

Vsus eius est, thoracem, pulmonesq; in partem dextram & sinistram diuidere, quo parte altera læsa, illæsa maneat altera: dein ipsum pericardium, ac proinde ipsum quoq; cor in sua sede continere: tum vasorum ductui securiori auxiliari, eadẽq; tegere & colligare. Hactenus, de partibus continentibus, tàm proprijs, quàm communibus.

DE

DE PARTIBVS IN THORACE & collo contentis.

QVAENAM partes in Thorace & collo cōtineantur, pręfixa secundo libro tabella, satis in genere declarat: quare de ijs nunc in specie agamus, & à Thymo exorsi, mox pericardij historiam subiungamus.

DE THYMO.

CAPVT VIII.

ΘΥΜΟ`Ν, Latini Glandium dixerunt (2. *figu. lib. 6. F.*) corpus est glandulosum, molle, spongiosum, in vitulis esui iucundum: in thoracis parte summa, iuxta iugulũ situm & medij pectoris ossi subiectũ.

Vsus est, vt diuisionibus vasorum in iugulo substernatur, quo vasorum securæ distributioni præsit: tum etiam, ne vena caua ex ossis attactu, lædatur.

DE PERICARDIO.

CAPVT IX.

Huc faciunt libri sexti, figura tertia & quarta: tertia enim, cor suo inuolucro vestitum,

ſtitum, continet: quarta verò, inuolucrum longa ſectione diuiſum, oſtendit.

ΠΕΡΙΚΑ'ΡΔΙΟΝ, quod Latinis inuolucrum cordis (4. *fig. B.B.*) vulgò capſacordis: Hippocrati, culeus & vagina cordis: mẽbrana eſt cor cum auriculis & vaſorum initijs (4. *fig. A.*) cooperiẽs: à mediaſtino amplexata, eiq́; fibris plurimis adnata.

Exoritur circa baſin (3. *fig. B.*) cordis, & quidẽ alijs à Pleura: alijs verò à vaſis ipſis, quę cor egrediũtur enaſci videtur.

Subſtãtia mẽbranea, craſſa, dura ob cõtinuũ cordis motũ: tãtò enim oſſe mollior, quãtò pulmone durior: interius lubrica, exterius fibroſa, cordis figurã æmulans. Hoc oſſi pectoris annectitur & ſepti tendini (3. *fig. ab F. ad G.*) cõnectitur: à corde verò ęqualiter diſtat, tum vt cor, cuius perpetuus eſt motus, cõmodè moueri poſsit: tum vt humor ſeroſus in eo contineatur, de quo ſequenti capite.

Hoc continuũ eſt, pręterquã in baſi, vbi vaſis egredietibus, viã prębet.

Venulas habet exiguas (3. *fig. circa D & E.*) per ipſum diſperſas, ab ijs quę ad me-

ad mediaſtinũ & diaphragma mittũtur. Neruulos exiguos, à ſexto pari recipit.

Vſus eſt, cor continere, alligare, à pulmonib. ſeparare & ne os pectoris coſtaſq́; , dũ mouetur, attingat, tueri: tandẽ, humorem ſeroſum continere.

DE HVMORE IN pericardio contento.

CAPVT X.

HVMOR aqueus, vel ſeroſus & omnis acredinis expers, qui in pericordio cõtinetur, partim ex quatuor vaſis cordis & ijs quæ cor cingũt oritur, vel immittitur (Galeno enim ſeroſi humoris ſubſtãtiã, arteria & vena gignit, vel defert.) qđ ex eo probari poteſt, quod Galenus palpitationẽ cordis venæ ſectione curarit, educto nimirũ vnà cũ ſanguine humore qui ad pericardiũ permeat & illabitur: partim verò & potus aliquid roris modo eò penetrat, & id tũ per anaſtomoſin, tũ per diapedeſin: ſi cũ potũ aſſumimus lãbendo, veluti ꝑ parietes aſperę arterię aliq̃d influit, vt ex Hippocrate, libro de corde, Platone in Tymęo, & Gal. 7. de vſu partiũ 17.

 patet:

patet: quod Hippoc. loco citato exẽplo comprobat tali: si quis minium cum aqua misceat, valdeq; sitienti propinet, præsertim porculo, quod animal minimè mundum est: & dein quis statim iugulet, fauces eo pigmento seu potu coloratas & infectas, reperiet.

Datur autem hic humor in omnibus viuentibus, quod ex viui canis sectione cognosci potest, in alijs tamẽ copiosior, in alijs paucior: in mulieribus tamen, copia maior: minus tamen in nuper mortuis, quàm qui dudum obiêre. Si enim humore hoc destituatur, Marasmus sequetur, hinc in Hecticis exiguus & flauescens reperitur: quare etiam Galeni simia tabida, sine hoc humore fuit reperta. Si verò sit copiosior, παλμὸν seu cordis palpitationem excitat & hominem suffocat.

Vsus eius, vt cor quod in suo pericardio in continuo versatur motu, irroretur & humectetur ne torreatur: quare, Hippocrates libro de corde addit, factum hunc humorem, vt cor

sanum

ſanũ in cuſtodia floreſcat, tanta enim huius copia, quanta ſatis eſt æſtuanti in medelam. Dein etiam, vt inibi adeps concreſcere poſsit.

Sed etiam in Thoracis cauitate, aqua nonnunquam cruore miſta obſeruatur, quæ partim, per tranſcolationẽ ſudoris modo ex vaſis, & veluti per anaſtomoſin & diapedeſin oritur: partim, per ipſum potum, exigua tamen quantitate.

Cùm enim eo loci fons caloris vigeat & foueatur, nõ modò intra pericardium, verum etiam & ad præcordia ipſa & thoracem vniuerſum, neceſſum erat humorem eſſe, haſcꝗ particulas perpetuo madore oblinitas eſſe, cùm calor noſter perpetuò, refrigeratione, pabulo & expurgatione indigeat, alioqui ipſum extingui & extabeſcere oportebat. Ideo hæ partes, natura tum per venas, tum per arterias & per indeſinentem anaſtomoſin & diapedeſin, veluti etiam per oris partes, refrigerantur, calorꝗ ipſe pabulatur.

DE VENÆ CAVÆ trunco ascendente.

CAPVT XI.

Huc referatur integra venarum totius corporis delineatio, quæ habetur apud Vesalium libro tertio, capite quinto : & venarũ ac Arteriarũ simul iũctarũ tabula in fine libri tertij, & libri sexti figura sexta.

CVM cor absque sanguinis effusione demonstrari non posſit, primũ de *VENAE CAVAE*, trunco, qui diaphragma penetrat, & per thoracem fertur, & ad iugulum vsque indiuisus manet, quem Truncum ascendentem, doctrinæ causa vocamus, in præsens agamus.

Antequam ergò in iugulo diuidatur, postquam diaphragma penetrauit, quatuor de se venas mittit.

I. Phrenica seu diaphragmatica (*C*) vtrinq; vna, quod ꝑ totũ diaphragma disseminetur: quarum dextra, aliquando in Thorace: sinistra verò, sub diaphragmate, ex vena caua, prodit.

II. Coronaria cordis. Vena caua ascendens ad dextram cordis auriculam, se inclinat (*venar. & arter. tab. a*) eam-

a) eamq; ſuperficietenus complecti-
tur & ςεφανιαίαν coronariam cordis
cõſtituit(*E & G.fig.lib.6.D.*)quæ cor-
dis baſim (*ven.& art.tab.V X.*)coro-
næ inſtar cingit: ramoſq; per propriã
cordis tunicã ſparſos deorſũ(*6.fig.lib.
6.E.ven.& art.tab.Z*)mittit.Huic ve-
næ, poſtquam à caua propagata eſt,
valuula adponitur,cuius forma ſimi-
lis eſt ei, quæ in fœtu primæ anaſto-
moſi(*vide ca. 14.huius libri*)prçeſt:hu
ius autẽ vſus ne ſãguis cordis ſuperfi-
ciei ſemel tributus propter nobiliſsi-
mi viſceris continuum motum,in ca-
uam facilè recurrat.

III. Vena ἄζυγος,ſine pari (*hanc
ſeparatim figura prima, vltimæ paginæ
libri tertij,proponit lit.O.Venarũ.v.tab.
F.F.*) quod vna ſit: quæ in humano
corpore à dextris,in omnib.verò à ſi-
niſtris eſt :quæ ſupra cor,inter quartã
& quintã coſtã exoritur,trũcũq; diſtin
ctũ conſtituit, & deorſũ (*FF*)mittit:à
quo ad inferiora, aliquãdo tñ ad om-
nia coſtarũ interſtitia, tàm à dextris,
quã à ſiniſtris(*GG*)ramos octo,venas
nimirũ intercoſtales mittit.Hui9 autẽ
venæ

venę rami, ſiniſtri lateris intercoſtalibus propagati, ad primam vſque coſtam, non ſolùm extendũtur, & cùm venæ axillaris ſiniſtro brachio deſtinatę ramis continuantur mutuumq; habent conſenſum: verum etiam in vtroq; latere eiuſdem ἄζυγος extremæ ramificationes ad intercoſtalis fines propè ſternum delatæ prodeũt, ac per muſculos thoraci incũbentes, qui brachium pectori adducunt, diſperguntur, cumq; venis externis ita commiſcẽtur, vt ſiniſtri lateris ἄζυγος diſtributiones, duplicem cum axillari eadem confluxum habeant. Quo fit vt in Pleuritide non ſemper dextri lateris, ſed eiuſdẽ deriuationis cauſa, vena cubiti interna aperienda ſit. Cùm verò ad octauam & nouam coſtam peruenit, in duos diuiditur ramos, maiorem ad ſiniſtram mittens, qui vbi ſub diaphragmatis ima inſertione tranſijt, in venam cauam iuxta emulgentes, frequẽtius tamen ramo vno in emulgentem venam: dextrã verò vltimæ lumbari, implantari obſeruauimꝰ. Hinc fortè in pleuritide in-

de incipiente, vena in poplite ſecari poſſet. Hinc etiam Pleuritici, ſępè criticè per vrinas, quemadmodum per arteriam meſentericam per aluum, expurgantur. Sunt qui velint in principio huius venæ, membranulas ſeu oſtiola adeſſe, qualia in orificijs vaſorum cordis apparent, quæ ingreſſum ſanguini, non autem egreſſum concedãt. Vnde inferunt quod ſecta vena in cubito, quãuis euacuet cauã, nil tamen ſanguinis è vena ἄζυγος educere: oſtiola. n. regurgitantem ſanguinẽ in cauã egredi, impedire. Talia autẽ oſtiola, nec in hominib9, nec in brutis hactenus obſeruauimus.

IV. Intercoſtalis ſuperior (*K: vẽ. & art. tab. r*) vtrinq; vna, qđ ad tria, quatuórve ſuperiorũ coſtarũ ſpacia mittatur: quarũ dextra aliquãdo à trunco, ſiniſtra verò, à ramo oritur. Sic ab intercoſtalibus omnibus, ramuli vertebrarum foramina ingrediũtur, pro earũ & ſpinalis medullæ nutritione.

Diuiditur dein venę cauę truncus iuxta clauiculas (*venar. & art. tab. p*) non in ramos quatuor, vt cum Galeno ple-

no pleræq; tabulæ Anatomicę nobis proponunt, ramum subclauiũ inferiorum, superiorũ venæ superclauiũ (*ven.& art.tab.ζ & α*) vocantes: sed in ramos duos, dextrum nimirũ & sinistrũ, vt nobis proponit latus sinistrũ iconis Vesalij, in fine li. tertij: dextrũ enim latus, quemadmodũ & figura omnes venas delineãs, Galeni receptam proponit sententiam.

In *IVGVLO* ergò, vena caua (*vena. & art.tab.p*) in *AXILLAREM* dextrã & sinistrã diuiditur. Ex quolibet ramo prodeunt venę, alię à parte inferiore, aliæ à parte superiore. Si à parte inferiore, alię ante diuisionẽ Axillaris, aliæ post diuisionẽ, prodeũt.

À parte inferiore, ante diuisionem prodeunt.

I. Mammaria descendens (*L.ad M.hanc separatim fig.secunda vlt.paginæ, libri tertij exprimit.*) vtrinq; vna sub osse pectoris descẽdẽs, ad xiphoidis cartilaginis latera emergit & sub musculis rectis ipsius abdominis, cũ venis Epigastricis (qua de re libro primo, ca.sexto) per anastomosin iũgũtur.

tur. Si verò vna sit, tum è medio venę cauę trunco, ante diuisionem, oritur.

II. Ceruicalis (*N.ven.& art.tab. ſ.ſ.*) quod per laterales vertebrarum ceruicis proceſſus tranſeat, quæ caluariã petens, in ſecundũ (*ven.& art. tab.u.u.*) duræ mẽbranę cerebri ſinũ, ſimul cum cõiuge arteria, abſumitur.

III. Muſcula (*b.vena.& ait.tab.4*) quod p̱ muſculos pectoris ſuperiores & colli inferiores, diſtribuatur quæ, aliquando à Iugulari externa, oritur.

IV. Scapularis gemina: quarum altera (*Q*) ad muſculos partem ſcapulæ internam obſidentes & ei finitimos, ac ad glandulas abit: altera verò (*c.ven.& art.tab.SS*) externam ſcapulæ partẽ accedit, cuius portio quędam inter cutim & carnem, fertur.

À parte inferiore, poſt diuiſionem ramus inferior, duas inſignes venas de ſe mittit.

I. Thoracica ſuperior (*P*) quæ in mammas & pectori inſtratos muſculos diſſeminatur.

II. Thoracica inferior (*R*) quę totũ Thoracis latus, deorſũ, perreptat.

Quod

Quod reliquum eſt harum venarum, in Brachiorum hiſtoria, libro quarto, exponetur.

A parte ſuperiore trunci Axillaris, duæ inſignes venæ prodeant, iugularis nimirum, quarum altera Interna, Externa altera.

I. Externa (*T: vena & ait. tab. ζ*) quæ altera maior eſt, vtrinq; vna, rariùs vtrinque duplex: à caudicis ſuperiore parte pronata, ſub cute ipſius colli ad latus, rectà ſurſum fertur: omnibuſq; partibus externis capitis, ſurculos impertit, & vt plurimum ſub auris radice (*V.*) ipſius prima fit diuiſio, cuius pars ad occipitium (*ven. & art. tab. θ.*) excurrit: altera ad tempus & verticem (*ead. tab. i.*) alia portio ad faciem (*ead. tab. λ*) & tandem in frontis medio (*9: ven. & art. tab. κ*) dextra cum ſiniſtra coniungitur, venamq; frontis conſtituunt.

II. Interna (*S: ven. & art. tab. δ.*) quæ minor eſt, queq; Apoplectica & Arabibus Guidet occulta appellatur, ſecundum aſperæ arteriæ latus ad fau-

ad fauces aſcendens, ramulos exiguos, aſperę arteriæ & membranis vicinis impertit: dein vbi craniũ attigit, bipartitur (*vena. & art. tab. ε.*) maiorq; ramus, per ſexti neruorum paris foramen, cum arteria carotide cranium ingreſſa, in vas commune abit: minor tandem ramus, per foramen tertij & quarti paris ingreſſus, in duram matrem abſumitur.

DE NERVIS PER thoracem collumque diſſeminatis.

CAPVT XII.

NERVI per Thoracem & Collũ diſſeminati, duplices ſunt: alij enim à cerebro, alij à ſpinali medulla prodeũt, vt cõmunis eſt ſententia. À cerebro ſextum prodit par, per vtrumq; ventrẽ, medium nimirũ & infimum diſſeminatum, tres præcipuos ramos, vtpote Recurrẽtem, ſtomachicum & coſtalem, conſtituens: verum ante horum demonſtrationẽ, oſsis hyoidis muſculi explicandi, de quibus inter muſculos libro tertio.

Huc facit libri quarti, capitis primi figura prima & secũda, & quãdo litera simpliciter ponitur, intelligendũ de secũda figura.

Sextum ergo par neruorum cerebri (1. & 2. *fig. e*) postquam vtrinq; per foramen quod est inter occipitium & os temporale, inter iugularem internam & arteriam carotidem egressum est, ramulos quosdam musculis colli (*f.*) (quo loci cum septimo pari (*o.*) iungitur) laryngis (*g.*) & ossis hyoidis, obiter distribuit: dein inter venam iugularem & carotidem arteriam, quibus mediante membrana connectitur, ad Asperę arteriæ latus ad iugulum vsq;, tàm à dextris, quàm à sinistris, descendit.

Hic notandũ, ad quodlibet Asperę arteriæ latus, venas duas iugulares, ramum nerui sexti paris, arteriam carotidem & neruum Recurrentẽ, ferri.

DE NERVO DEXTRO SEXTI PARIS, quomodo Recurrentẽ, stomachicum & costalem dextram constituat: deq; ipsius per vtrumq; ventrem progressu.

Ad horum explicationem libri 4. capi-

tis

tis primi figura secũda: & capitis noni, figura tertia facit: quando verò litera simpliciter adponitur, tum secundam figurã notat.

NERVVS sexti paris (*e.*) qui cũ septimo (*o.*) iunctus est, supra iugulum in duos diuiditur (*h.*) ramos: in alterũ exteriorẽ, qui maior: alterum interiorem, qui minor est.

Exterior ramus (*3. figu. N.*) exiguis de se missis in musculos colli (*kk.*) ramulis, paulūlum ad Arteriam axillarem dextram (*3. fig. E.*) descẽdit, ibiq; vt plurimum tres neruulos (*l. & 3. fig. P.*) sub Arteria transmittit, qui reflexi iunguntur, & versus caput ad Asperæ arteriæ latus (*m.*) cui adhæret sursum mittitur, ac in laryngis cauitatẽ, eiusq; ramulos, cũ suo sinistro (*n.*) inseritur: hicq; dexter est RECVRRENS. (*m. e. 3. figu. Q. Q.*) neruus, qui cum suo sinistro, vocalis dicitur, quòd per eos, efformandę vocis virtus, deferatur.

Recurrente neruo constituto, sub iugulo ramus prædictus obliquè ad STOMACHICVM constituendum

descẽdit, inq; trãsitu extrorsum pleuræ & tunicæ (*q.*) pulmonis, introrsum verò pericardio (*r.*) ramulos distribuit: reliquum, stomachicum dextrum constituit, qui sinistrum petens latus, sub œsophago, cui affigitur, cum sinistro (*s.*) iungitur ac diaphragma penetrans, in sinistrum ventriculi orificium superius & proximas ventriculi sedes (*t.*) expanditur & absumitur.

Interior ramus (*iii.*) is est, qui & costis & omnibus visceribus Abdominis, ramulos impertit. Primò enim vertebris attensus, per costarum radices demittitur & cuilibet intercostali neruo, ramulũ impertit (Notandum per quodlibet costarum interstitium, vasa tria ferri: venam à vena azygos: arteriam, ab arteriæ magnæ trunco: Neruum, à spinali medulla, thoracis (*fig. 3. lib. 4. ca. 11. ηη.*) cui hic neruulum adhuc impertit.) Dein, vertebris attensus, diaphragma penetrãs, tres sed extrorsum mittit ramos: primum ad Omentum (*y*) à quo ramuli tres, vnus ad colõ (*z.*) intestinũ, hinc

hinc in colicis raucedo: alterũ ad intestinorum (α) principium: tertius insignis ad vẽtriculi fundum parte (β) dextra, qui & superiori omenti membranæ surculos largitur: reliquum, in iecoris (*) tunicam & vesicam bilariam, absumitur. Secundum, qui inferior est, ad renem (γ) dextrum mittit. Tertium, qui maximus, ad mesenterium (δ) & intestina. Tandẽ, quod reliquum est interioris rami, rectà descẽdit ad vesicam, eiusq; dextrum latus (ε.) implicat, in eoq; absumitur.

DE NERVO SINISTRO SEXti paris, quomodo Recurrentem, stomachicum & costalem sinistrum constituat, omnibusq; visceribus, tàm thoracis quàm Abdominis, neruos largiatur.

N*ERVVS* sinister sexti paris (*e.*) pari pacto, quo & dexter, de se missis ramulis, progreditur: cumq; septimo iunctus, vbi ad iugulum peruenit, in ramum exteriorem ac interiorem, diuiditur.

Exterior ramus (3.*figu. O.*) postquam in descensu extrorsum quidem pleuræ & tunicæ pulmonis, ac

introrſum pericardio ramulos diſtribuit, tum primum, non ad Arteriam axillarem (3. *fig. C.*) ſiniſtrã, ſed ad Arteriæ magnæ truncũ (3. *fig. B.*) deſcendentem, neruulos tres trãſmittit, qui reflexi (*o.* 3. *fig. R.*) iunguntur, & ad aſperæ arteriæ latus ſurſum mittitur, cumq; dextro ad laryngem (*n*) inſeritur: hicq; eſt ſiniſter R*ECVRRENS* (*p.* 3. *fig. S S.*) neruus.

Recurrente conſtituto, rami ſexti reliquum, verſus dextram deſcendit, ad S*TOMACHICVM* ſiniſtrũ conſtituendum, qui paulò ſub Recurrentis exortu cũ ſtomachico dextro, ſub œſophago (*ſ.*) iungitur: dein reliquũ, orificium ventriculi (*u.*) inferius adit, & ſecundum elatiorem ventriculi regionem ductus, tandem in iecoris cauo (*x.*) abſumitur.

Interior verò ramus, vt dexter, per thoracẽ progreditur, C*OSTALEM* ſiniſtrũ cõſtituens & neruis intercoſtalibus ramulos impertiẽs: dein, ſub diaphragmate tres etiam de ſe mittit ramos, quorũ prim9 qui ſuperior, ad omentũ (*ζ.*) abit, à quo ramuli duo, vnus

nus ad colõ ($\theta\iota.$) altér vẽtriculi fundũ (†) ſiniſtrum & ſuperiorẽ omenti mẽbranam, petit: reliquũ lieni (η) inſerit. Secuudus, qui ſub illo, ad meſenteriũ ſiniſtrum ($\varkappa$) & eius loci inteſtina mittitur. Tertius, renem ſiniſtrum (λ) accedit. Reliquũ totius interioris rami, in Veſicæ ſiniſtrum latus (μ) abſumitur. Ab his interioribus ramis, tàm dextro, quã ſiniſtro, ſoboles ad Vterum mittuntur. Hactenus de neruis ſexti paris.

Huc facit Neruorũ tabula prima, & ſecunda libri quarti, capitis vndecimi.

N*ERVI* qui à ſpinali medulla prodeunt, duplices ſunt, alij ipſius colli, alij thoracis.

Thoracis medullæ, neruorũ paria ſũt duodecim (*à 7. ad 19. vel à D. ad E.*)

Ceruicis medullę, neruorum paria ſunt ſeptẽ (*à D. ad B.*) à cuius infimis tribus neruis, nerui duo (2.*tab. n. n.*) qui ad diaphragma feruntur (*o. o.*) nerui nimirũ Diaphragmatici, vel Phrenici dicti, vtrinq; nimirũ vnus ex tribus ſurculis cõflatus (*b. e. m.*) originẽ ducũt. Sed de his in ſpinalis medullę hiſtoria.

DE CORDE.

CAPVT XIII.

Ad cordis historiam intelligendum facit tertia, quarta, quinta & sexta figura, libri sexti. Sic & vltima libri tertij figura, cor in sua sede repositum, declarat.

COR, *καρδία*, pars princeps est, caloris fons, spirituũ vitaliũ receptaculũ, arteriarũ (creditur) radix: in centro thoracis, iuxta quintam vel sextam costam situm: à pulmonibus, tanquam digitis circũplexum: quod in homine diaphragma attingit, tantumq; à pectoris osse distat, quantum à vertebrarum corporibus recedit.

Huius aliæ partes sunt externæ, aliæ internæ.

Externæ sunt: Mẽbranæ duæ, quibus integitur, vna externa pericardiũ dictum (*3. figu. D. E. F.*) de qua prius: altera propria tenuissima, huicq; visceri continua.

Figura donatur pyramidali seu turbinata, mucrone ad anteriora thoracis: basi verò ad dorsum vergente.

Adipis non parua copia, circa cor, potissi-

potiſsimum ad ipſius baſim ſeu glutinum quoddã, qui durior eſt quàm in alia parte. Adipem verò natura voluit neceſſariò hoc loci eſſe non autem pinguedinem (rectè ergo Galenus cum Philoſopho dixit, circa cor, aliamúe calidam partẽ, pinguedinem non coaleſcere) quia facillimè liquata fuiſſet à cordis calore, quod maximum foret incommodũ. Vſus ipſius eſt, vt cor ex continuo motu calefactum, non penitus exſiccetur, ſed ab eo non nihil refocilletur, & venas circa cor, ne nimio calore vrgente diſsiliant, veluti inungat, quamuis & alia addi poſsit commoditas. Cùm enim cor fons ſit caloris, tum innati, tum elementaris, rationi conſonum naturam in neceſſariis non deficere, veluti nec in ſuperfluis ſuperabundat, quare eo loci vbi fons caloris exiſtit, & perpetuò calor fouetur & gliſcit, conſonum, inquam, eſt, vt proſpiciat illi tribuens, ſufficiens & neceſſarium pabulum, quo foueatur. Ideo, natura perpetuò ibi plurimum ſanguinem

transſmittit, ex eoq́; quod pinguis, leuis aptuſque eſt, ne videlicet humidum radicale citiùs abſumatur, hic nihil aliud eſt niſi adeps, eiuſque materia. Sic ſæpè in diſſectis cordis ventriculis in ipſorum cauitate fruſtula quædam portiones ac ramenta, ſi non adipis, ſaltem ſimillima obſeruauimus, ita vt magis mirum ſit, quomodo is ibi concreſcat, quàm is qui ſupra cor ipſum eſt. Quis dubitabit, hanc etiam materiam eſſe caloris, atque eius pabulum, vbi is ali carpiq́; poſsit: Ideo Galenus 16. de vſu part. 2. eum adipi vſum præbet, vt in ingentibus caloribus medijs & frequẽtibus exercitationibus, deſeruiat. Sic Auicenna dixit: pinguedinis & adipis congelationem, ſupra corpus minui & augeri, ſecundum minorationem caloris & eius augmentum: itaque, calor adipem & pinguedinem pabulatur.

Diuiditur autem cor, in partem anteriorem *(4. fig. C.D.E.)* quæ aliquantulum gibboſa: & poſteriorem,

quæ

quæ ſima. Harum alia ſuprema, quæ κεφαλὴ, baſis, caput & radix (3. *fig. C.* 4. *fig. C. D.*) dicitur: alia infima, quæ πυθμὴν, mucro (4. *fig. E.* 11. *fig. F.*) conus aliјs: & partes laterales, dextrum nimirum (5. *fig. A*) & ſiniſtrum (*c. fig. A. B. C*).

Vaſa etiam obtinuit: venam (4. *fig. L. L.* 6. *figu. D.*) ςεφανίαν ſeu coronariam, ad ſui nutritionẽ, de qua prius Arterias duas ςεφανιαίας, de quibus mox, quod coronę modo baſim cordis cingant. Neruos habet baſi inſertos, qui ſecũdum venam arterioſam (*c. fig. h*) exporriguntur: de qua re plura capite ſequenti.

Vtrinque autem ad baſim cordis, circa ventriculos inquit Hippocrates libro de corde, poſitum eſt corpuſculum quoddam molle, cauernoſum, vt cordis motum promptè ſequatur, quod ob ſimilitudinem Auricula ὑμὴν ὠτοειδὴς dicitur: alia à dextris (4. *fig. I.* 5. *fig. B.* 7. *fig. F.* 11. *fig. B.*) alia à ſiniſtris (4. *fig. K.* 6. *fig. F.* 9. *fig. I.* 11. *fig. E.*) quarũ illa, venæ cauæ adponitur & maior eſt: hæc verò, ad

Arteriam

Arteriam venoſam repoſita eſt, minorq́ꝫ exiſtit. Sunt autē neruoſiores, ꝓpter extenſionē cuticulares, vt cordis motum ſequātur. Vſus, vt altera, venam cauam, altera verò Arteriam venoſam, ne à motu cordis lędantur, tueantur & fulciant. Hactenus de partibus cordis externis.

Internæ ſuccedunt partes. Subſtātiā ipſius Hippocrates lib. cita. Muſculum dixit. Galenus 6. de vſu part. 8. & in de motu muſc. 3. muſculū eſſe non concedit: eſt enim craſſa, carnoſa, denſa, ne in validis motibus frāgatur, multo quàm aliorum membrorum compactior, quæ communi cum reliquorum viſcerum carne, παρέγχυμα vocatur.

Fibris omnis generis donatur, (cuius nomine Muſculus non eſt) quo omnis generis motus pręſtet & iniurĳs ferendis, pertinacior ſit.

Hunc faciunt libri ſexti figuræ, ſeptima, octaua, nona, decima & vndecima.

Cauitates, ſinúsue etiam duos inſignes habet (licet Ariſtoteles tres ſtatuat) quos ventriculos dicunt. Dexter (*fig.* 7. 8. 11. *GG.*) maior & latior, q̃

cavi-

cauitatẽ inſtar creſcẽtis Lunæ habet: carne molliore(*fig.*7.*Q.R.*) & luxiore præditus, qui vt inquit Hippoc. caudã cordis ambit, ita vt magis ſuperficialis ſit. In hoc, ſanguis ab Hepate per venam cauam delatus, cõtinetur, quẽ pro Pulmonis nutritione, in foueis, in quibus diutius retinetur, attenuat: cuius gratia hic ventriculus creatus, vt ex animalib. pulmone carẽtibus, patet: vnde Galeno & Ruffo, ſinus ſanguineus & φλεβώδης. i. venoſus, dicitur. In hũc, vt dicetur vena caua ſubit & vena arterioſa egreditur.

Siniſter verò qui anguſtior(*9. 10. 11. fig. H.H.*) ad mucronẽ vſque vergit, carne ſolidiore, craſsioreq́ (*9. fig. M.M. 10. P. Q.*) donatus. Craſsior eſſe debuit, quia in hac, vt habet Hippoc, inſitus à natura ignis continetur, ſpiritus nimirum vitalis, qui facilè exhalaſſet: hinc Galeno & Ruffo ſinus ſpirituoſus, aliis ſpõgioſus & aẽreus vẽtriculus dicitur: dein etiã vt hac dẽſitate, calidior eſſet. Cùm autem in hoc ſpiritus qui leuiſsimus & ſanguis tenuiſsimus: in illo ſanguis craſsior cõ-

tinca-

tineatur, debuit vētriculi huius crassities, contenti leuitatem compēsare, quo corpus in æquilibrio esset. Huic venosa arteria inditur & rursus Arteria magna prodit.

Septo quodam diuiduntur cauernoso & scrobiculorum pleno (qui tertius fortè Aristotelis ventriculus) quod Interstitium dicitur (8. *fig. H.H.* 9.*K.* 10.*R.* 11.*I.I.*) per quod Galenus meatus transire vult, quo sanguis ex dextro ventriculo ad sinistrum feratur & cum spiritib. misceatur: verùm ipsius substātia adeò porosa, potissimum dextrorsum (vt sanguis subtilior reddatur) nō videtur meatus requirere: nec ijs opus fuit cùm sanguis per venā arteriosā ad pulmones feratur, vbi attenuatus, dein, simul cū aëre ad sinistrū vētriculum, per Arteriam venosam deferatur: quòd si sanguis venosus, ita facilè in sinistrū ventriculū transmeet, qua ratione iā spirituosus calidior ac tenuior effectus, per eosdem meatus septi, in dextrum nō recurrit, rerumq; ordinē nō confundit.

Vasa duo, in quolibet sūt vētriculo, quę Hippoc. humanæ naturæ fontes

vocat, & ad quodlibet ipsorũ orificiũ valuulę adponũtur, quę Hippo. pelliculę cordis latẽtes, quę velut opercula quędã sũt, ne materia multa effluat, aut in ipsũ refluat. In dextro qdẽ vena caua & vena arteriosa, vnà cũ sex valuulis: in sinistro verò, Arteria magna & Arteria venosa, cũ quinq; valuulis.

VENA caua (*fig. 3. A. 4. F. 5. C. 6. NN. 11. A.*) ad humiliorẽ basis sedẽ, amplo patenteq; orificio (*fig. 7. C. CC.*) dextro cordis vẽtriculo adhęrescit, sanguinẽ ab Hepate dũ cor dilatatur, in ventriculũ, vt magis elaboretur, deferens.

Valuulas seu membranulas, seu ianitrices membranas venæ cauæ extremitati, seu orificio præfectas, tres obtinet (*7. fig. K. L. M.*) substantia mẽbranosa, quæ quia dum clauduntur, spiculorũ sulcis similitudine respondent, τριγλώχινας, trisulcas & tricuspides appellarũt, quæ plurimis filamẽtis (*7. fig. N. N*) iũctis, vt etiã in Arteria venosa, carneis portiũculis (*7. fig. OO.*) accrescũt, hicq; fortè Aristotelis Nerui sunt. Hæ foris intrò spectãt, ne sãguis ad cor delatꝰ, in venã cauãregurgitare posſit. Alterũ dextri vẽtriculi vas est.

VENA

VENA Arterioſa (*4.fig.G.6.I.11.D.*) quæ ex elatiſsima baſis cordis parte enaſci credit, multo minore quã caua orificio, quæ ſanguinẽ allatum, è ventriculo dum cor conſtringitur ad Pulmonũ nutritionẽ defert. Vena, ab officio: arteria, à ſubſtantia dicitur.

Valuulas etiam ternas habet, quæ (*8.fig.E.F.G.*) quia ſemicirculum exprimunt, σιγμοειδεῖς dicuntur, & hæ intus forâs, contrario quam priores modo ſpectãt, idq; ne ſanguis ex corde ad Pulmones delatus, rurſus in cor relabatur.

Hoc loco obſeruatu dignum, quod ſcilicet in medio circumferentiæ valuularum quæ venæ arterialis & Arteriæ magnæ orificio ſunt præfectæ, cartilagineum corpuſculum grani punici imaginem referens, magna ex parte ſit appoſitum: earundem etiam valuularum exterior circumferentia reliquo corpore ſolidior percipitur, quaſi ex duplicata membrana conſtans, vt tum cartilaginei corpuſculi, palpebrarum in modum, beneficio, tum propter ſolidam

lidam

lidam adiacentem ſubſtantiam, facilius attolli & conniuere poſſint: eoque magis, quod fibris illis deſtituantur, quibus venæ cauæ & arteriæ venalis oſtiola præfecta, prædita ſunt, atq; internis cordis ventriculis validè connectuntur ac ſuſtinentur.

Diuiditur autem vena arterioſa in duos truncos *(8. fig. C. D.)* quorum alter ad pulmonem dextrum, alter verò ad ſiniſtrũ mittitur. Dein, vlterius progreſſa, in varios ramos per Pulmonis ſubſtantiam diſſeminatur.

Siniſtri ventriculi vaſa duo ſunt, quorum alterum *ARTERIA* venoſa *(6. fig. G. 11. E.)* quæ ex molliori ventriculi ſede *(9. fig. D. D.)* oriri creditur: ex Pulmone aërem ſanguini attenuato mixtum, cordi dum dilatatur communicat. Arteria, ab vſu: vena verò, à ſubſtantia dicitur.

Valuulas duas *(9. fig. E F.)* obtinet, quæ filamentis plurimis *(9. fig. G. G.)* iunctis, carneis explantationibus *(9. fig. H. H.)* accreſcunt & ſimul mi-

tram epiſcopalem referunt, hæque foris intrò ſpectāt, ne ſanguis cum aëre in pulmones remigret. Duæ tantùm ſunt valuulæ, quoniam vt habet Galenus, ſolius huius orificij intererat, ne ad amuſſim clauderetur, quod ſolum ipſum, tranſitum à corde ad pulmones & ab his ad aſperam arteriam, excrementis fuliginoſis dare præſtiterat, quæ calorem natiuum poſſent extinguere. Hæc non ſecus quàm vena arterioſa, per Pulmones diſſeminatur.

ARTERIA tandem magna, quæ Ariſtoteli ἀορτὴ & arteriarum mater dicitur (*4. fig. H. 6. O 11. C.*) ex elatiſs. ſede vētriculi ſiniſtri: vnde κοιλία δεξιτερώδης, enaſci creditur: ad cuius exortum (*10. fig. S. S. & libri 1. cap. 20. figura.*) cartilago quædam in quibuſdam animalibus reperitur: in maioribus verò, cartilago oſſea: in maximis tandem, ait Galenus, os cartilagineum cōſpicitur. Subſtantia ipſius craſſa eſt, ne ſanguis arterioſus ſpiritu refertus euaneſcat, vel ex continuo motu frangatur. Hæc, ſpiri-

ſpiritum & calorem vitalem, in omnes corporis partes, diſpergit.

Valuulę tres (10. *fig.B.C.D.*) in Arteriæ magnæ orificio (10. *fig.A.*) obuiæ ſunt, quæ eandem & formam & ſitum & vſum obtinent, quem etiã venæ arterialis valuulæ, obtinuêre.

DE VASORVM CORdis in Fœtu unione, quæ in lucem editus aboletur.

CAPVT XIV.

Ad capitis huius intellectum, proximè iconem dabimus.

CVM de ſtructura Cordis eorũ, qui iam in lucem editi ſunt, abundè dictũ ſit, nũc de Cordis ſtructura, quæ in fœtu eſt, venit dicendum.

Galenus, 6. de vſu part. 20. & 21. potiſſimùm verò 15. de vſu part. 6. quomodo fœtus, à iam natis ratione cordis differat, & quomodo vaſorum cordis in fœtu fiat vnio, quæ poſt editum in lucem animal aboletur, manifeſtiſſimè oſtendit, licet hæc poſt Galenum plerique Ana-

tomici, ſicco pede prætererint, à nobis tamẽ,nũc, à toto decẽnio in noſtris Anatomijs publicis, maximè verò priuatis demonſtrata.

Quatuor eſſe in duobus Cordis vẽtriculis vaſa,ſuperiori capite fuit dictum,duo quidem in dextro. Vena nimirum caua & vena arterioſa: duo verò in ſiniſtro, Arteria nimirum magna & Arteria venoſa: quorum vaſorum ea ratione fit vnio, ut bina coniungantur, vas nimirum dextri cum ſiniſtri lateris vaſe: prima enim vnio eſt, Venæ cauæ cum Arteria venoſa:altera verò, Arteriæ magnæ cum vena arterioſa.

Hæ autem vniones, eodem non fiunt modo: alia enim per anaſtomoſin, alia verò per canalem fit.

Prima vnio, quæ per anaſtomoſin fit, eſt venæ cauæ cum Arteria venoſa, his enim cum mutuo ſeſe cõtingerent, velut foramen quoddam vtrinq; commune natura pertudit, quod amplũ & patens, oualem figuram præ ſe fert, per quod ſan-

ſanguis à caua ad arteriam venoſam tranſit, cui membranam vnicam, tenuem, duram, pellucidam, vbi cauitatem arteriæ venoſæ reſpicit, operculi inſtar præfecit, quò dum laxè in ſe concidit (cùm maior ſit foramine) ſanguini à vena caua impetu adfluenti cederet quidem, prohiberet verò ne ſanguis ex arteria venali, in cauam rurſus reuerteretur. Arteria enim venoſa in fœtu, Pulmoni officium venæ præſtat: in lucem verò editis, munere arteriæ fungitur. In fœtu enim, ſanguis per venam cauam ſurſum latus, per arteriam venoſam in pulmones defertur: in lucem verò editis, ſanguis per venam cauam ſurſum latus in dextrum cordis ventriculum effunditur, indeque motu cordis in venam arterioſam propellitur, inque Pulmones pro ipſorum nutritione defertur. Cùm enim Cor in fœtu non moueatur & Pulmones duntaxat augeri oportuerit, ſanguinem purum ei natura ſuppeditare voluit: vnde

Pulmones in fœtu densissimi & crassissimi, substantia Hepati similes, subrubei, cùm ex sanguine gignantur & nutriantur, vt habet Galenus 15. de vsu partium 6.

Vnaquæque enim pars ex sibi proportionata materia efformatur: Venæ quidem & Arteriæ omnium partium primæ ex semine efformantur. Hepar ex sanguine per venas vmbilicales delato: sicuti per arterias, ad magnæ arteriæ truncos iuxta os sacrum pertingentes, ex sanguine calidissimo & spirituoso cor, tanquam ex materia proportionata (vnde Aliabbas cor ex materia arteriali, Aristoteles ex materia sanguinis) efformatur: ita & Pulmones, ex sanguine à Caua ad Arteriam venalem delato, qua tanquam Vena tunc temporis vtitur, per anastomosin eò pertingente: & ex sanguine spirituoso ab Aorta ad Venam arteriosam per canalem delato, tanquam ex materia conuenienti generantur, nutriuntur,

untur, ac dum Embryo in vtero continetur, augentur. Sed ad rem.

Cùm verò Cor moueri cœpit, à calore motuque cordis, pulmonum caro laxa, leuisque redditur, quò facilè à Thorace dilataretur & comprimeretur: ob eam causam in fœtu vena caua, in Arteriam venosam est pertusa: sub dextra enim cordis auricula, priusquam vena caua in dextrum ventriculum se aperiat, vbi Coronalis vena oritur, hęc coniunctio seu anastomosis reperitur.

Hæc naturæ sunt opera admiranda, superat verò omnem admirationem, prædicti foraminis haud multò pòst conglutinatio. Anastomosis enim hæc citissimè deperdita, statim post editum animans, diebus aliquot post, coalescere vult Galenus, non autem coaluit: verùm aduertendum, non solùm post dies aliquot, verum etiam post aliquot septimanas paulatim foramen occludi & cana-

lem exſiccari, quod non ſecus in brutorum, vt canum, vitulorum, quàm humanis fœtibus obſeruare licet. Verùm, ſi animal perfectum inſpexeris, negabis aliquando locum hunc fuiſſe pertuſum. Quando enim fœtus in lucem prodijt & iam reſpirat, corque mouetur, non amplius opus habuit, vt vel foramen iſtud apertum eſſet, vel alterius vnionis canalis reſeratus detineretur.

Secunda vnio eſt, Arteriæ magnæ, cum Vena arterioſa: cùm enim Arteria venoſa, Pulmoni venæ officium præſtaret, neceſſe fuit alterum vas in Arteriæ vſum tranſmutari, quocirca natura, id quoque in magnā arteriam pertudit, quod tamen per canalem fit. Cùm enim hæc duo vaſa aliquantum inter ſe diſtarent, aliud tertiū vas exiguum, quod vtrunque coniungeret, efformatum fuit.

Canalis enim hic obliquè, ad Venam arterioſam progreditur, vbi nimirum ipſa in duos truncos diuiditur,

tur, ratione ea ac si Vena arteriosa in tres truncos diuideretur, quorum primus sinistrum, secundus dextrū pulmonē peteret, & tertius qui prædictis duobus maior est, ipsam Arteriam magnam obliquè adiret, eo loci vbi Arteria in duos diuiditur trūcos, quorum alter sursum ad Iugulum: alter verò qui maior, ad dorsum sinistrorsum post pulmones se contorquens, deorsum tendit, vbi Neruus sinister sexti paris circumuoluitur & Recurrentem constituit, ipse inquam Canalis incipit: ac à cordis basi in fœtu, duobus trāsuersis digitis, in adultis verò, quatuor distat.

Canalis huius tanta longitudo, vt digitum inter vtrumq; supponere liceat: in bobus verò vbi adoleuerint, duos vel plures. Sed lubet hoc loco de Neruis ipsius cordis ex Fallopio quædam adscribere, cum hoc loci eos obseruet.

Vbi Vena arterialis ad sinistrum latus flecti incipit, & vbi adest meatus arterialis in Embryone, qui Ve-

nam arterialem cum Arteria magna coniũgit, plexus quidã est aut complicatio neruea, à qua abundans copia neruosæ materiæ totam cordis basim amplexatur, perq; ipsam plures propagines paruorum neruorum inde diductæ disperguntur, ac per totam ipsius substantiam. Hoc Anatomici ligamentum fortasse rati, neglexerunt: hacque ratione non viderunt, quot Nerui in cor ferantur. Nerueus autem iste plexus, originem ducit à quinque neruorum propaginibus, quamuis aliquando quatuor tantùm sint, quinque tamen utplurimum reperiuntur. Hactenus Fallopius: redeamus ad nostrum Canalem.

Huic Canali nulla membrana præest, cùm non sit anastomosis, sed canalis: dein quia satis longus & obliquus est, ita vt non facilè sanguis à magna Arteria in Venam arteriosam receptus (cuius nomine magna in eo cauitas) retrocedere valeat.

Canalis etiam hic, pari modo

cùm

cùm aliæ animalis partes augentur, non modò non augetur, verum etiam tenuius ſemper fieri conſpicitur, adeò vt tempore procedente, penitus tabeſcat & exſiccetur. Verùm hic canalis, in infantibus trium & etiam quatuor annorum, propter tunicæ craſsitiem, ſed non pertuſus, adhuc reperitur. Debuit enim hæc tunica Venæ arterioſæ adeò craſſa eſſe, in fœtu quidem cum munere Arteriæ fungatur, propter ſpiritum vitalem: in animali verò in lucem edito, propter ſanguinem, qui poſt elaborationem in Corde tenuior eſt.

Vniones hæ, ex Galeni ſententia, Pulmonũ cauſa fabrefactæ, quo Pulmones & efformari & augeri & nutriri valeant, quo ſanguis ex Vena caua ad Arteriam venoſam, non autem ex dextro ventriculo pro pulmonum nutritione deferatur: ſic ſpiritus vitalis & ſanguis arterioſus, non ex ſiniſtro cordis ventriculo (in fœtu puta) in Arteriam magnam, verùm ab Arterijs vmbilicalibus,

bus, Aortæ ſubminiſtrantur, ex qua ad venam arterioſam per canalem pro pulmonum recreatione & refocillatione, tranſmittuntur. Et hactenus de duplici unione, quæ in Corde fœtus reperitur, nunc de Arteriæ magnæ per thoracē diuiſione.

DE ARTERIÆ MAgnæ diuiſione & ramis per Thoracem & Collum diſſeminatis.

CAPVT XV.

Ad meliorem huius capitis intellectum facit Arteriarum tabula, quæ habetur libro tertio: eiuſdemq; libri figura vltima, quæ Venarum & Arteriarum delineationē proponit.

ARTERIA magna Cor egreſſa, priuſquam pericardio excidat, duas de ſe mittit Arterias:

Coronarias dictas (*B*) quæ baſim cordis coronæ inſtar cingunt, quæ aliquando gemina, aliquando vna eſt. Dein pericardiū egreſſa, in duos Truncos (*C*) abit: alterū quidem maiorem,

iorem, quia ibi corpus ſit maius, qui ad latus ſiniſtrum indiuiſus, ſupra vertebras deorſum mittitur: alterum verò minorem, qui ſurſum mittitur.

Ex Trunco qui deorſum (*i*) mittitur, ſequentes prodeunt rami.

Intercoſtalis maior ſeu inferior (*kkk*) qui vtrinq; ad octo inferiorum coſtarũ interualla, ramos ſuos mittit: à quibus & ad vicinos muſculos & ſpinalem medullam ſoboles mittuntur: aliquando tamen, vena azygos comitem habet arteriam, ab arteria magna prodeuntem.

Phrenicas duas (*l*) ubi ad ſeptum tranſuerſum peruenit, de ſe mittit, vtrinque vnam, quæ per ipſum diaphragma diſtribuuntur.

Reliquum trunci, ſub diaphragmatis diuiſione pertrãſit, aliosq; de ſe mittit ramos, de quibus in Abdominis hiſtoria.

Superior verò Trũcus (*V*) qui minor eſt, omnibus ſupra Cor exiſtentibus partibus vaſorum propaginẽ impertit, & in Axillarem dextram (*Y*)

&

& ſiniſtram (*D*) diuiditur. Dexter ramus (*T*) ſiniſtro multo elatior, multoque amplior eſt: ſiniſter verò (*D*) contrá.

Ex quolibet antequam in Brachiũ abeãt, alij rami à parte inferiore, alij à parte ſuperiore prodeunt.

A` parte inferiore, ꝓdeũt rami tres:

I. Intercoſtalis minor ſeu ſuperior (*E*) quatuor ſuperiorũ coſtarum interuallis ſoboles deriuans.

II. Thoracica ſuperior (*L*) quæ ad muſculos pectori inſtratos mittitur.

III. Thoracica inferior (*M*) quæ totũ thoracis latus deorſum preptat.

A` parte ſuperiore, prodeũt rami quinq;.

I. Mammaria (*G*) vtrinq; vna, quæ ſub ſterno deſcendens ad cartilaginum interſtitia & mammas ramulos mittit, ac ſub rectis muſculis deſcendens, ſuis ſurculis ad umbilicũ, Epigaſtricæ arteriæ (de qua in Abdomine) coniungitur.

II. Ceruicalis (*F*) quæ tranſuerſos ceruicis meatus permeat, ramulis ad ſpinalẽ medullã, vertebriſq; miſ-
ſis:

ſis:hęc inter primã vertebrã & os occipitij vtrinq; caluariã ingreditur & vnitur: mox diuiſa, arterias ad Cerebri membranas, cerebellũ & cerebrum mittit, à quibus plexus reticularis conſtitui videtur, quibus arteriæ duæ à Carotidibus adiungũtur.

III. Muſcula *(H)* quæ poſterioribus ceruicis muſculis & aliquando etiã brachij ramulos impertit.

IV. Scapularis *(I)* quia ad muſculos ſcapulum occupantes mittitur.

V. Humeraria *(K)* quę extra thoracem orta humeri ſummũ conſcendit & ad muſculos cauũ ſcapulæ occupantes mittitur.

Reliquũ Arteriæ vtrinq; in Brachiũ abſumitur, de quibus in Brachij hiſtoria. Ab Axillari etiam dextra, duæ Carotides ſeu ſoporales arteriæ extra thoracẽ oriuntur, quę ſurſum ad iugulũ rectà tendũt. Dextra quidem *(Z)* cum ſiniſtra *(X)* ſecundum aſperæ arteriæ latera cũ Iugularibus internis, quibus adherẽt, caput petunt, & vbi ad fauces peruenêre *(a)* antequã caluariam ingrediantur, ramulos ad laryngem,

laryngem & linguam *(c)* mittit: tum in duos diuiditur ramos; exteriorem *(b)* & interiorem *(d)*

Exterior, soboles ad buccas *(e)* exporrigit: dein, vbi ad aurium radicē peruenit *(f)* diuiditur: quorum ramulus alter, auris *(h)* posteriora petit, à qua arteriæ duæ sub aure maxillam inferiorem ingrediūtur, & ad omnes radices dentium inferiorum disperguntur, cuius pars alia per labrum incidit: alter verò *(g)* tempora frōtemq; perreptat & in faciei musculos distribuitur.

Interior ramus *(d)* foramen id per quod sextum neruorum par egreditur, & ex sententia Vesalij duræ matris sinum cum iugulari uena, ingreditur: quod tamē Columbus negat, qui illarum partem ad anteriora cōuerti vult & ramulos ad palatum, ad internum nasum, & ad superiores dentes disseminari: reliquum iuxta os sphænoides ascēdit & vtrinq; ad oculos arteriā mittit: alij verò ramuli caluariam ingrediuntur & per duræ membranæ latera explicantur.

DE

DE PVLMONIBVS.

CAPVT XVI.

Huc faciunt libri sexti, prima & secunda figura, quæ potissimùm situm ostendunt: sic et tertia, quarta, quinta & sexta: præcipuè autem duodecima & decimatertia libri sexti figuræ.

PVLMONES, πνεύμονα Græcis à πνέειν: vocis & respirationis instrumenta, thoracis cauitatem, quam in viuente opplent (quod ei patebit qui folle per asperã arteriã insufflarit: in mortuo enim concidunt) figura (2. *fig. N. O. P. Q.*) referũt.

Diuiduntur vt & Thorax in partes duas, dextram nimirum atq; sinistram, idq; mediastini interuentu, vt parte vna læsa, altera adhuc ad vsum animalis reseruetur. Quælibet rursus pars duas fibras seu lobos obtinet, alium superiorem. (2. *fig. N. P.*) alium inferiorẽ (2. *fig. O. Q.*) qui Cor ipsum tanquam manus complectũtur & superius incumbunt.

Forma, vngulam bubulã referunt, (13. *fig. formã & lobos exprimit*) si am-

bas partes ſimul iunctas intueamur.

Integuntur tunica leui, molli (ut pulmonum dilatationibus promptè obediat) tenui & poroſa, quò tenuitate ac raritate ſua, ſaniei, intra Thoracis cauitatem collectæ, aditum in pulmones præbeat & per tuſsim reijciatur. Oritur à pleura, qua enim vaſa, tunica à pleura obuoluta, pulmonem ingrediuntur, ibi tunica vaſorum recedit à vaſis (vnde quibuſdam ex finibus vaſorum pulmonis orta creditur) ac tenuiſſimæ pulmonum ſuperficiei expanditur. Hæc quibuſdam partibus, potiſſimùm ad Thoracis latera pleuræ annaſcitur, quo faciliùs ad thoracis dilatationem pulmones attolli poſſint.

Neruulos à ſexto pari, à dextris quidem (2. *fig. lib.* 4. *q.*) poſtquam recurrentem dextram: à ſiniſtris verò, ante recurrentis conſtitutionem, obtinet.

Subſtantia eius eſt caro rara fungoſa (ad aërem rectiùs recipiēdum) mollis, leuisque, quo facilè attolli collabiq;

collabiq; poſſit, & cauernas ſuffarciat, ne quid ſit inane, ne quid hiet, ne quid ex aſsiduo motu reſpirandi rumpatur, & hæc ratio cur Platoni ſit ἄλμα μαλακὸν: de cuius ortu cap. 14. fuit dictum.

Vaſa tria per Pulmones diſſeminantur, quæ varijs connectuntur ramis, à quibus Pulmonum textura conſtituitur, quibus eorum ſubſtantia, quemadmodum Venis, hepatis parenchyma, circũfuſa eſt: Duo à Corde recipit: alterum quidem, ex dextro ventriculo, Venam arterioſam (12. *fig. C.*) ſanguinem tenuiorem pulmonibus pro alimẽto ſubminiſtrans: alterum, ex ſiniſtro ventriculo, Arteriam venoſam (12. *fig. D.*) per quam ſanguis arterioſus, potiſsimùm verò aër externus per aſperam arteriam attractus & in pulmonibus iam præparatus, ad Cordis refrigerium admittit, & per quem Cordis fuligines ad pulmones deferuntur. Tertium vas, ipſis quodammodo proprium, Aſpera arteria (12. *fig. B.* & 13. *A.*) dici-

tur. Horum autem Vaſorum rami, ita in totam pulmonum ſubſtantiam diuaricantur, vt poſtremo capillares exiſtant.

DE ASPERA Arteria.

CAPVT XVII.

Huc facit libri quarti, capitis noni figura.

ASPERA arteria quæ Græcis βρόγχος: & posterioribus ἀρτηρία τραχεῖα, aſpera arteria, ab inæquali, qua conſtat propter cartilagineos orbiculos, ſubſtantia (reliquæ enim Arteriæ omnes leues dicuntur) aut propter Spiritus comprehenſionem ἀερατηρῶν.

Eſt autem fiſtula (*H*) velut pulmonis tubus ſemper hians, ex anulis cartilagineis & membranis neruoſis conſtructus, qui larynge eius dicto capite, œſophago incumbens per collum deorſum in Pulmones defertur, vocis & reſpirationis inſtrumentum exiſtens. Diuiditur in partem

partem anteriorem, posteriorem & laterales.

Anterior pars (*H*) vt & laterales, ex meris cartilaginibus semicircularibus, vt semper fistula pateat, constat, & quia C literam referunt, σιγμοειδεῖς dicuntur.

Posterior pars membranosa est, cum cartilagines hæ totum non absoluant circulum, quæ parte posteriore mediante membrana coniunguntur, idque ne deglutiendo solidiores cibos, cartilagines comprimantur, sed gulæ cedant.

Glandulæ etiam (*M*) ad laryngis radicem asperæ arteriæ ad latera appositæ vna vtrinque, quo viscidum, quem continent humorem in arteriæ cauum exsudantes humectent, (de quibus libro 3. capite de tonsillis,) licet & poculẽtorum particula quædam, quæ sensim per canalem descendit, internam superficiem humectet.

Ligamenta membranosa duplicia quibusdam habet: alia, quæ cartilagines connectunt: alia, quæ

circulum absoluũt, vt dilatari ac cõtrahi possint.

Tunicis duabus vestitur, altera exteriore, quæ velut indumentum quoddam bronchi existit, quæ neruos etiam recurrentes ei colligat. Altera interna, ori œsophago & vẽtriculo continua, fibris rectis intertexta: hæc satis pinguis constructa, ne arteria ab aëre calidiore attacta exsiccetur, quod voci & aëris transmissioni valdè incommodaret.

Ad iugulum vbi peruenit, in duos ramos diuiditur. (*I. K.*) in dextrum & sinistrum, qui pulmones ingressi, rursum vterque in alias ramos duos, ad quemlibet lobum diuiduntur, hique in alios plures figura varia constantes per pulmonum substantiam disseminantur: verùm propter cartilagines non facilè obstruuntur, idque vt screatui, tussi aut purulentæ, aut sanguineæ reiectioni pateant. Hi autem rami, inter Arteriam venosam & venam arteriosam locantur, vtriq; enim propinqua esse debuit: arteriæ quidẽ vt

citiùs

citiùs aërem ad cor tranſmitteret, & fuliginoſa excrementa reciperet: Venæ autem, vt ab ea ſanguinẽ pro nutritione recipiant.

Vſus, vt dum dilatatur, aërem inſpirando ore exceptum, ad pulmones, mox ad cor deferat: dum conſtringitur, fuliginoſa cordis excrementa exſpirando reddat.

DE OESOPHAGO.

CAPVT XIIX.

Ad huius capitis explicationem faciunt figura decimaquarta & decimaquinta, libri quinti.

Οἰσοφάγος, qui ab οἴω fero & φάγημα cibus, nomen habet, communiter ςόμαχος: Latinis, Gula & ſtomachus: Arabibus meri: ciborum & potuum via communis eſt, ab ore in ventriculum ſub aſpera arteria, ad quintam vſque thoracis vertebram (*ab A ad B*) rectà delatus, inde modicè in

dextrum latus (*à B . ad C.*) Arteriæ magnæ cedens, ſe inclinat: tum ſiniſtrorſum, magnam conſcendens arteriam, (*à C . ad D.*) ne iecur dextram ſedem occupans, perforare cogatur,) per ſeptum tranſuerſum in ventriculi ſuperius orificium (*G*) vnà cum duobus neruis inſignibus (*T.V*) à ſexto pari ortis deſinit. Qua autem quintæ thoracis vertebræ inſidet, tutelæ gratia & vt illius cauitatem humore imbuat, ne ob ſiccitatem cibus in ventriculum difficiliùs prolabatur, glandoſum corpus parte poſteriore (*F. F.*) adnaſcitur.

Figura rotundus, vt per locum minimum plurima peruadat materia: tum vt ab iniurijs ſit tutior.

Venas habet à vena porta & caua: arterias ab ijs quæ ad ventriculum abeunt: neruos à ſexto pari.

Subſtantia ipſius inter carnem & nervum media eſt: donatur enim tribus tunicis: prima à ligamentis, vertebrarum enata: altera externa dicta, carnoſa, tranſuerſis fibris, contexta,

contexta, vt his promptiùs alimenta in ventriculum trudantur, & ex ventriculo in vomitu expellantur. Tertia interna eſt, q̃ altera craſſior & menbranoſior eſt, rectisq; fibris, quo alimentum attrahat, donatur, quæ tunicæ oris ad labia vſq; & laryngi continua eſt.

Vſus præcipuus, vt cibum & potum in ventriculum deferat.

DE OSSIBVS MEdij Ventris.

CAPVT XIX.

Huc refer libri primi, capitis decimimoni figuras, quarum prima integram oßium thoracis compagem anteriori facie exprimit: secunda verò posteriorem faciem proponit, huc etiam referẽdæ figuræ quatuor cap. 16. libri primi & capitis 14. figura.

IN medio ventre, oſſa ſunt quatuor generum: parte anteriore, os pectoris, στέρνον dictum, de quo capite 4. ad cuius partem ſuperiorẽ adpoſitæ ſunt clauiculæ duæ, de quibus cap. 2. partibus lateralibus, coſtæ, de quibus cap. 3. & denique parte poſteriore, ſunt vertebræ &

ſcapularum oſſa, de quibus nunc.

Vertebræ thoracis, quę etiam μετάφρενον, ſeu dorſi vertebræ dicuntur, in homine magna ex parte duodecim (*fig.cap.14.à C.ad D.*) ſunt: rarò vna ſupereſt, rarius verò vna deeſt: plerunq; tamē homines à canib. vnà thoracis vertebra ſuperantur. Harū prima (*fig.cap.14.C.*) ἀσφάλεια quod ſit firma: proxima illi μασχαλιστὴρ ab axillis nomen recipiens: nouē poſtea ſuccedentes πλευρῖται à lateribus quibus cum coſtis cōnectuntur: duodecima verò (*fig.cap.14.D.*) διαζωστὴρ, præcingens dicitur.

Huc faciunt figuræ tres capitis vigeſimi primi, libri primi.

SCAPVLARVM oſſa, quæ ὠμοπλάται dicuntur duo ſunt, vtrinque vnum, quod trianguli quodammodo imaginem exprimit: duos obtinet proceſſus, quorum ſuperior (1.2.3.*fig.K.*) ſupra humeri articulū, ἀκρώμιον dicitur: inferior ſeu interior & minor proceſſus (1.2.*fig.E.F.*) inſtar antiquæ Gręcorum literæ C cauus eſt, ob id σιγμοειδὴς nuncupatur: alijs

tur: alijs à similitudine, cũ altera anchoræ parte ἀγκυροειδὴς: nonnullis verò κορακοειδὴς, quod corniculæ rostri modo incuruetur.

DE OSSIBVS Colli.

CAPVT XX.

Ad explicationem horum faciunt figuræ vndecimi capitis 15. lib. primi & capitis 14. eiusdem libri figura.

CERVICIS seu colli σπόνδυλοι seu vertebræ septẽ (*fig. cap. 14. ab A. ad B. numeris appositis*) sunt, sed enim in omnibus pari modo sunt processus. Prima vertebra capiti est adnexa, Atlantis nomine insignis, supra quam ad latera caput flectitur. Altera est ἐπιστροφεὺς à vertendo, quod circa ipsum collum circumagatur. Tertia est ἄξων: reliquæ quatuor nomine carent.

Et hæc de Thorace.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DE

DE TERTIO VENTRE, CAPITE NIMIRVM.

LIBER TERTIVS.



ERTIVS venter, Animalium partiũ sedes, sensus & motus principium, Κεφαλὴ Caput dicitur. Caput aũt propriè totũ id vocatur, quod prima colli vertebra terminatur, membrorumque est diuinissimum. Diuiditur autem in partem capillatam & partem glabram, capillis'ue priuatam.

Pars capillata Caluaria dicitur, cuius pars anterior, βρέγμα Synciput, à fronte ad suturã coronalem quibusdam: alia posterior, quæ sutura lambdoidea & prima colli vertebra terminatur, ἰνίον Aristoteli, occiput: alia media inter has, pars nimirum gibbosa.& veluti centrum, κορυφὴ vertex: aliæ denique laterales, inter oculos & aures positæ, κρόταφοι tempora, de quibus fusiùs in tractatu

ctatu de part. externis.

Pars capillis priuata, Aristoteli πρόσωπον Facies, cuius pars alia superior, alia inferior: superior, quæ capillorum radicibus, superciliis & temporibus terminatur, μέτωπον Frons dicitur. Inferior verò, propriè Facies dicitur, de qua postea.

Harum omnium partium aliæ sunt continentes, aliæ contentæ. Capillatæ quidem partis, quæ Caluaria dicitur, partes cõtinentes, vel sunt communes, vel propriæ. Communes sunt cuticula, cutis, quæ Pilis intectæ sunt, Pinguedo & Panniculus carnosus. Propriæ verò sunt vel externæ, vel internæ. Externæ, sunt Membranę quę vel Pericraniũ, vel Periostium, & ossa. Internæ, sunt Menynges cerebri, quarũ alia crassa, alia tenuis dicitur, quæ cerebrũ cũ cerebello & spinali medulla obtegunt. Contentæ sunt Cerebrum & Cerebellũ ad quæ spinalem medullam & Neruos referimus. Glabrę verò partis, continentes & contentas partes postea proponemus.

Sed

Sed de his in Tabella adiecta.

DE CAPILLIS.

CAPVT PRIMVM.




APITIS pili, ꝓpriè κόρσαι, Latinis capilli (de quib. in partiũ exter. tractatu fuit dictum) dicuntur: hi ex fuliginoſo tertiæ concoctionis, excremẽto naſcuntur: è cute enim emergunt, eamque perforant.

Vſus eorum, vt tegumẽti & propugnaculi inſtar ſint, craſſaq; excrementa abſumant.

DE CVTE CAPItis, Pinguedine & Panniculo carnoſo.

CAPVT II.

CAPILLI cuti capitis, quæ denſa, dura, craſſa, propter capillitij ſegetẽ: Ariſtoteli verò tenuiſſima, inhærent: hanc ſentire negat Ariſtot. cùm tamen à prima & ſecunda colli vertebra potiſſimũ neruos recipiat, vt à iugularibus externis venas & carotidũ ramo exteriore, arterias recipit: de qua, vt & pinguedine & panniculo carnoſo, libro



neruca

pinguedine & panniculo carnoso,
libro



Fold Out
BACK PAGE





Fold Out
FRONT PAGE

libro primo dictum fuit.

Vſus huius cutis, vt ſit capillorũ aruum: dein caluæ tegumentum: tum cerebri propugnaculum.

Pinguedo etiam inter cutim & panniculum carnoſum, circa occipitium obſeruatur: vnde ſolùm penis & ſcrotum reuera pinguedine deſtitui videntur.

Panniculus carnoſus, cuti capitis potiſſimũ circa frontẽ (vnde cutis capitis muſculoſa dicitur) fortiter adhęret, hocq; loco craſſiſſimus eſt.

DE MEMBRANIS exterioribus Capitis, Pericranio & Perioſtio.

CAPVT III.

ΠΕΡΙΚΡΑ'ΝΙΟΝ dicitur mẽbrana cranium extrinſecus ambiens, quę mollis, tenuis, ex dura menynge ſuturas cranij tranſeunte (*GGG*. 1 .*fig.lib*.7.) enaſci dicitur, qb. tãquam vinculis dura menynx cranio ſuſpenditur, quod quibuſdam in alijs partibus perioſtium dicitur.

Περιόστιον huic ſubiacet, mẽbrana neruea

neruea tenuiſſima, oſſibus cranij extrinſecus validiſs. adhærefcens exquiſito ſenſu prædita, cuius beneficio omnia corporis noſtri oſſa ſentiunt.

DE OSSIBVS Cranij.

CAPVT IV.

Huc refer figuras tertiam & quartam Capitis ſexti, libri primi: ſic & octauam eiuſdem capitis figuram.

CRANIVM, id eſt, Caluaria, quod quaſi κρανὸς, id eſt, Galea ſuperiaceat dictum, os magnũ & rotũdum eſt, omnes capitis particulas complectens, quod ex octo conſtituitur oſſibus.

Primum frontis eſt (*L*) quod aliqui coronale vocant, & quibuſdam vtrinq; vnum conſtituitur.

Secundum & tertium ſunt βρέγματις ſeu Syncipitis, alijs verticis (*I. K*) Quartum eſt occipitis (*M*) Quintum & ſextum dicuntur λιθοειδέα lapidoſa, alijs petroſa (*N*) alijs temporum. Septimum Sphænoidis, alijs baſilare, alijs cuneiforme (*O*) quod

quidam

quidã capitis, alij maxillæ ſuperioris os dicunt. Octauum eſt Ethmoides, alijs cribroſum, alijs ſpongioſum, quod ſexti capitis octaua figura oſtendit.

Suturis hæc oſſa diſtinguuntur (rarius enim ſolida eſt caluaria) ꝓpriæ enim capitis ῥαφαὶ, id eſt, commiſſuræ ſeu ſuturę, tres ſunt: vna anterior, quæ frontis os à Syncipitis oſſibus (*A B*) diſtinguit, & ςεφανιαῖα, id eſt, coronalis dicitur. Altera, poſteriori parte in occipitio eſt (*C D*) quę à literę Λ ſimilitudine, λαμβδοειδὴς dicitur & occipitis os, à Syncipitis oſſibus diſtinguit.

Tertia inter has duas media, per capitis longitudinẽ lata, duo Syncipitis oſſa diuidit, vnde ὀβελιαία, id eſt, recta (*3. fig. E*) vulgo ſagittalis dicitur: hæc in quibuſdam ad naſum vſq; abit, frontis os diuidens. Sunt & alię mendoſę (*F*) circa oſſa petrea, duæ ſcilicet, q̃ ſupra aures feruntur, λεπιδοειδέα, κροταφίοι, id eſt, temporales: alijs mendoſæ, quod minus ſint atque priores euidentes, atque

ſquammoſæ dictæ.

Vſus ſuturarum præcipuus, vt fuliginoſa excrementa per eas exhalent, quod vt fiat, capita ſubinde lauantur, pectuntur & fricātur. Dein, ne vnico ictu caluaria vndiq; frangatur: tum vt dura membrana cerebri prodiens, pericranium conſtituat. (*Hoc declarat prima* 3.4.5.6.7.8.9.12.13.*&* 14.*cap*.1.*lib*.7.*figura*.)

Duplex autem caluariæ tabulatū (quod interius potiſſimùm circa ſuturas mollius eſt, quā ab exteriorib. iuxta Celſum) quidam conſtituunt: quod partim leuitatis cauſa, partim vt materiam ſanguineam pro cranij nutritione contineat, ſit factum. In medio etiam frontis oſſe, iuxta ſuperciliorum ſedem, foramen cōſpicitur (*L*) in quo mate ria medullæ ſimilis continetur, quæ διπλοὴ Hippocrati dicitur, quam alij, vt aërem contineat, alij, ad odorem conferre, volunt.

DE

DE MEMBRANIS interioribus Capitis, & primùm de DVRA Matre.

CAPVT V.

Huc facit prima figura libri ſeptimi, quæ cerebrum dura membrana intectum cum ſinubus oſtendit: & figura ſecunda, dura membrana detectum monſtrat. Sic & lib.3.cap.14.figura.

MEMBRANAE duæ cerebrũ integunt, quas μήνιγγας Græci: Arabes verò, matres vocãt: Dura ſcilicet, quæ exterior,. & pia mater, quæ interior eſt.

Dura mater (*AA.BB.2.fig.HH.*) παχεῖα μήνιγξ, ſeu σκληρὰ μήνιγξ, craſſa menynx, quę dura, à duritie: craſſa à craſſitie, dicitur. Hęc à cranij baſi exoriri dicitur, per cranij ſuturas egreditur, duplexq́; exiſtit: exterior, quæ cũ oſſis duritiem attingere debuerit, minori ſenſu: interior verò, quoniam piam matrẽ attingere debuit, maiori ſenſu prædita eſt.

Reduplicatur autẽ in capitis vertice, cerebriq́; partem dextrã à ſiniſtra, ad dimidium cerebri centrum

ſeparat: quæ reduplicatio, corpus Falcem referens, cõſtituit, vt (*FGH. 3. fig.*) oſtẽdit. Poſteriori verò parte, vbi cerebrũ à cerebello diſtinguit, quadruplicatur. Ab hac perioſtiũ, pericraniũ & reliquæ toti⁹ corporis tunicæ prodeunt: hinc minima corporis parte dolente, mox cerebrũ afficitur, vt Epileptico apud Galen. 3. de loc. affec. accedit.

Sinus ſeu cauitates, ex duplicata dura matre genitos, ideò Græcis διπλόαι dictos, quatuor habet, in quas venæ iugulares ingrediuntur: quorũ duorũ priorum origo eſt, ad baſim iuxta magnũ occipitij foramen, quo loci iugularibus internis ingreſſus patet, & ad ſuturæ lambdoideæ principium abeunt, dexterque cum ſiniſtro coniunctus, (hic concurſus quibuſdam torcular dicitur) tertium ſinũ (*CCC. & 2. fig. A A.*) efficit, qui ſub ſagittali ſutura per capitis longitudinẽ fertur & ad os Ethmoides, olfactus organorũ ſinus (*3. fig. N*) dirimẽs, abit. Ab hoc, venulæ plurimæ ad latera exeunt (*2. fig. CC.*

fig. CC. 3. fig. EEE) quæ partim per tenuem membranã, partim per cerebri ſubſtantiã ad cerebri nutritionem diſſeminãtur: venulas enim ac arteriolas per cerebrum diſſeminari, Gal. 9. de adm. anatom. & 8. de uſ. part. teſtatur: quare ſinus hic, qbuſdã Torcular ληνὸς, puteus, cõductus ſanguinis, quod torcularis inſtar ſanguinem exprimat, dicitur.

Quartus ſinus (qui inter cerebrũ & cerebellũ medi⁹) principiũ, torcular dicitur: hic omniũ breuiſſimus inter cerebrũ & cerebellũ delatus, ad cerebri teſtes pertingit. Non deſunt, qui pręter hos ſinus & alios ꝓponant: de quib. in tota Anatome.

Vſus durę matris, cerebrũ, cerebellũ & ſpinalẽ medullã integere: dein cerebri partẽ dextrã à ſiniſtra, & à cerebro cerebellum diuidere: tum vt vaſa quæ ad cranium *(FFF)* mittuntur, deducat.

DE PIA MATRE.

CAPVT VI.

Figura ſecunda ſeptimi libri, cerebrum tenui menynge intectum, oſtendit.

PIA mater (*EE*) & ob tenuitatē λεπτὴ μῆνιγξ, durę ſubiacet, quę etiā Galeno χοροειδὴς ſecūdina, à ſecundinę forma, ob plurimas venas (*FFF*) & arterias quas obtinet. Hęc tenuis, mollis, q̃ non ſolùm immediatè cerebrū obtegit, ſed ipſius etiam anfractibus ſe inſinuat, maioriq́; quàm dura ſenſu prædita eſt.

Vſus: Cerebrum, Cerebellum, & Spinalem medullam continere, inueſtire, & mollitiem cerebri à duritie duræ matris, illæſam ſeruare.

DE PARTIBVS IN CRAnio contentis.

DE CEREBRO eiusq́; partibus.

CAPVT VII.

Tertia figura libri ſeptimi cerebrum vtraq; menynge detectum oſtendit.

CEREBRVM ἐγκεφαλὶς, animalis ac principis facultatis ſedes eſt, in caluaria repoſitū, ipſius cauitatis formam, totumque ſpacium, licet contrà velit Ariſtoteles, implens. Diuiditur autem in partem anteriorem ſeu ſuperio-

rem,

rem,& posteriorem seu inferiorem. Anterior propriè cerebrum: posterior, παρεγκεφαλὶς cerebellum, tanquam paruum cerebrum dicitur. Cerebrum rursus in dextrum, *(AAA)* & sinistrum *(BBB)* mediante dura matre,tertium sinum & falcem *(DDD)* constituente, vsque ad callosum corpus diuiditur. Hinc nō semper eadē capitis pars, vt habet Hippoc. de sacro morbo, dolet.

Substantia eius est alba, mollis, humida, leuis, quam Hippoc. glandulæ similem: diuinus Plato medullam: alij ἐγκεφαλίτην,teste Galeno, dixêre. Hæc varios anfractus *(CCC)*habet, (cuius nomine κιρσοειδής,id est,varicosa dicitur) quos Aristoteles leuitatis gratia: alij, vt cerebrū faciliùs moueatur, factos dicunt:vel potius, quo vasa commodiùs per cerebrum ferantur, ne à motu cerebri rumpantur. Huius substantia interior, si dissecetur & comprimatur, sanguinis guttæ apparebunt: vnde Pelops Philosophus dicebat venas à cerebro ori-

ri, cùm ſanguis extra venas conſiſtat:ſed fortè ſanguis is (niſi concedatur, quod tamen manifeſtum, venas per Cerebri ſubſtantiam ferri) eſt, qui roris modo ad ipſius nutritionem, cerebro aſpergitur.

Ablata cerebri ſubſtantia, eaque manibus vſque ad medium diuiſa

Corpus calloſum vtrique cerebri parti commune (fig.L L) apparet, quod quia cerebri ſubſtantia magis candicat & durius eſt τυλλῶδες σῶμα dicitur: cui Septum lucidum, quod diaphanum ſit, ſic dictum ſubiacet: nihil autem aliud eſt quibuſdam, quàm tenuis membrana, hoc loco duplex: alijs verò pars cerebri ſolidior, corpori calloſo continua, cuius beneficio ventriculi duo anteriores lateribus internis diſtinguuntur.

Huic corpori ſubſtantia quędam cõtinua eſt, q̃ p̱ longitudinẽ in anteriora verſus frontẽ ꝓtenditur, inęqualiq́; ac flexuoſa figura prædita eſt, quę Hypocampi ſeu bombycini vermis ęffigiẽ, Arantio refert. Sublato

lato calloſo corpore cōſpiciuntur.

Ventriculi κοιλίαι duo (*L L. M M.4. fig.*) qui aliјs anteriores, aliјs ſuperiores dicuntur: qui impenſè albi, obliqui, anfractuoſi, gibboſi, duos mediatæ Lunę circulos referentes, quibus tenuis membrana obtēſa eſt. In his ex inſpirato per olfactus organa aëre, vitaliq; ſpiritu, per arterias carotides delato, puriſsimos animalis ſpiritus, ſunt qui ſtatuant, confici. Quemadmodū aūt in anteriore parte duæ eminētiæ, albæ conſpiciūtur, ita & in parte poſteriore apparet.

Fornix (*S T V 5. fig.*) καμάριον & ψαλλοειδής teſtudo, dictū corpus: cuius ſubſtātia vētriculis ſimilis, durior tamē & cādidior triāguli formā referens, quod duob. quaſi fulcris parte poſteriore, anteriore verò vno conſtituitur. Hoc foris gibbū, ne cerebri moles tertiū ventriculū cōprimat: intus verò (*6. fig. AAA*) cauum, quo ſpiritus animalis motui liberum ſit ſpaciū, exiſtit. Inter hæc medius eſt.

Plexus choroides (*O O.4.& 5.fig.*) i. reticularis, q̨ ex arterijs carotidib. enaſcit, in quo ſpiritus animales ela-

borari volũt pleriq;. Sublata Fornice, & versus posteriora reflexa, mox

Tertius ventriculus (*H.7.fig.*) conspectui se offert, duorũ priorũ ventriculorũ cõmunis cauitas, ab anteriore ad posteriorẽ partẽ protensa. Duos autem habet meatus, quorũ vnus anterior (*I*) rectà deorsum ad peluim & glandulã pituitariã abit. Alter verò posterior (*K*) qui non exigua tertij vẽtriculi pars, ad quartũ vẽtriculum sub natibus (*M.N*) abit: qui meatus ablatis testibus, natibus & glandula (*L*) pineali conspicitur. Et quoniã iuxta glandulã, ani formã referat, rimãq; ostendat: (*vt decima figura proponit.*) hoc loci sunt, qui foramẽ ano simile & vuluã sibi imaginẽtur: quod in tã diuino domicilio inhonestũ, ne dicã impiũ, est cogitare.

Glandula (7. *L.* 8. *M.* 10. *D.*) iuxta huius meatus exortũ apposita, quã κωνοειδῆ pinealẽ dicũt. Substãtia duriuscula, à cerebri substãtia differẽs, colore subluteo, tenui mẽbrana obducta, forma penem referens, vnde Penis cerebri quibusdam dicitur.

Vsus eius ut Venarum & arteriarũ

per cerebrū latarū diſtributioni præ-
ſit, quæ plurimę eo loci conſpiciun-
tur. Huic in extremo cerebro, cere-
bellum verſus, partes eminētes ap-
poſitæ ſunt (*7.fig. M.N.*) quæ ſola li-
nea diſtinguuntur: ſuperiores

Nates (*8.fig. N.O. 10. E. G.*) γλουτία
à forma dicūtur (quibuſdā à calloſo
corpore ꝓductæ) & maiores multo
ſunt quā inferiores duæ particulæ.

Teſtes (*8.fig. P. Q. 10. F.H.*) δίδυμοι
dicti, quòd ipſis glandula proxima
quaſi penis ſit: qua enim parte hæc
glandula non eſt, nates nominan-
tur. Horum vſus, Cerebri molem,
ne quartus ventriculus comprima-
tur, ſuſtinere. His per medium ſtylo
diuiſis (*vt factum in figura octaua.*)

Quartus ventriculus inter cere-
bellum & ſpinalem medullam, ſeu
his communis apparet, (quamuis
Arantius dicat potiùs canalem vo-
candum) qui omnium minimus &
ſolidiſſimus, eò quod elaboratos
ſolùm ſpiritus continere debuit, qui
latius patens, dein arctetur, ita vt e-
ius finis calami ſcriptorij (*10.fig. L.
M.N.O.*) mucroni, vt Herophilus ha-
bet,

bet, similis sit. In his quatuor ventriculis facultatis, intelligendi, imaginādi & memorādi sedes, cōstituitur.

Peluis (14. *fig. C C.* 15. *E.* 16. & 18. *B*) πυελὸς, seu χοάνη: id est, infundibulum: cauitas est profundior in anteriore parte tertij vētriculi, inter duo priora neruorū paria, ex tenui menynge facta, cuius initiū amplū est & orbiculare, quod sensim angustatur & ossi sphænodi adponitur. Vsus eius est excrementa cerebri excipe: &

Glandulam pituitariā seu colatoriam (16. & 18. *fig. A*) in sphænoidis sella (quam aliqui sellam turcicam) positam, transmittere. Est aū glandula crassa satis, sub ipsis menyngibus, ad finē infundibuli posita, cui

Rete mirabile πλέγμα δικτυοειδὲς (*fig.* 17. *exprimit*) ab operis artificiosa figura, glādulę sub dura matre, à lateribus sellæ circūponitur: hoc, ex arterijs quatuor conflatur: duę enim p duo foramina per quod sextū neruorū par egreditur, reliquę duę, prope oculos ingrediuntur, quę principio vnitæ ac rursus fissæ, circa infundibuli regionē sibi inuicē occurrūt, dein

dein in numerosissimas propagines abeũtes quiddã texũt, quod ob simi litudinẽ Rete mirabile nuncupatur. In hisce arteriolis, tanquã in præparatorio vase, spiritus vitales minutiss. propter arteriarũ exilitatẽ incidi & inanimalem trãsmutari, creditur: qui dein ad vẽtriculos delatus, lõgè exactius elaboretur. Hoc in omnib. hominũ capitibus, hactenus obseruauimus, licet in vitulorũ capitibus multo & maius & manifestius cõspiciatur. Priusquã aũt Infũdibulũ, Glãdula pituitaria & Rete mirabile demõstretur, Processus mãmillares & Neruorũ paria ostendere oportet.

Processus mammillares, duo (*12, fig. CD. 13. LL*) in anteriore parte siti sunt, tenues, oblõgi, ex cerebri substãtia iuxta Neruos opticos pronati, qui tenui mẽbrana inuoluti, ad frõtẽ in ossa ethmoidea abeunt, ad quæ odores per nares attracti ascendũt, odorisq; dicũtur instrumẽta, q Neruis nõ adnumerãtur, quia cranio nõ excidũt: quibusdã tamẽ, non sunt olfactus organa, sed tantùm opercula, ne aër in cerebrũ cumulatim irruat.

DE

DE NERVORVM zyzygiis.

CAPVT VIII.

NERVORVM Cerebri paria cõmuniter ſeptem, alij nouẽ numerant. Primũ par eſt Opticorum neruorũ, qui (quia caui) πόροι ὀπτικοὶ: id eſt, meatus viſorij Herophylo dicuntur, omniũ maximi, qui ab anterioribus ventriculis procedentes, ſupra os ſphęnoides vniti (13, *M*) cõmunẽ ductũ cõſtituũt, per quos ſpiritus modò vni, modò alteri cõmunicantur: mox ſeparati, alter ad dextrũ (13. *N*. 14. *B*) alter ad ſiniſtrũ (13. *O* 14. *B*) oculũ defertur, & oculi cauitatem ingreſsi, in retiformẽ tunicam expanduntur. Horũ munus viſiuos ſpiritus deferre. Ad horũ latera, Arteriæ carotides (13. *P*. *Q*. *R*. 14. *E*. *F*) adiacent, quæ partim in ventriculos (*Q*) partim ad tenuem menyngem (*R*) abeunt.

Secundũ par proximũ (14. *G*) oculorũ motores dictos, conſtituit. Hoc poſtquam per proprium foramen è caluaria excidit, ad quẽlibet muſculum,

lum, tàm oculorũ, quam palpebrarum neruum mittit.

Tertium par, Gustatorius, quod in commissura cerebri & cerebelli inueniri dicunt, principia duo habet, (14.*N.I.*) vnũ durius & tenuius: alterũ mollius & crassius. Hoc quatuor habet propagines: prima, ad musculos cutimq; faciei: secunda, ad gingiuas, dẽtes superiores & labiorũ musculos: tertia, ad partes inferiores mittitur: quarta & maxima, ad linguę tunicã. Illud verò cũ secũdo pari per cõmune foramẽ transiens, in quatuor etiã partes diuisum: prima, ad frontis cutim: secũda, ad labium, maxillã superiorẽ & eius musculos; tertia, ad nariũ tunicam: quarta, ad musculos temporales abit,

Quartũ par, Gustatorius etiã, Gustúsue organũ (14.*K*) illo minus est, cui adeò proximus, vt illius portio esse videatur, cùm prædicto enim pari descẽdit, cuius pars maior, in palati: altera, in linguæ tunicam abit,

Quintũ par, Auditorius neruus, ad cerebri basim exoritur, cuius portio duplex(14.*L.M*)maior enim in foramen

mẽ auditoriũ, illabitur & audiẽdi fit organum: partim verò per foramen cæcum elapſum, in muſculos, ut & alter minor ramus, abit.

Sextũ par (*N*) vagus dicitur neruus, certis ramulis aliquot initiũ ſumit, q̃ mox coniũcti neruum poſt opticos maximũ cõſtituũt, quod durius eſt, eò quòd ſpinali medullę ꝓpinquius ſit. Hic per foramẽ id deſcendit, per quod Iugularis interna aſcẽderat. In tres præcipuos ramos diuiditur, recurrentes, coſtales & ſtomachicos, quemadmodum in ſecundo ventre dictum fuit.

Septimũ par (*O*) linguę motorium conſtituens, omniũ duriſsimũ, in poſtremo occipitio, quod alijs à cerebello, alijs à Cerebro, alijs à dorſali medulla oritur: hoc varijs radicibus per obliquum in occipite foramen egreditur, & ad linguæ muſculos abit, eis motum impertiens. His duo adhuc paria, Columbus addit: octauũ par ipſius, Veſalius quinti paris facit radicẽ: nonũ verò, ſuũ dicit inuentũ. Hoc verò dicto ſeptẽ neruorũ cõiugationes comprehendũtur.

Optica

Optica prima, oculos mouet altera, tertia gustat,
Quartaq́; quinta audit, vaga sexta, septima linguæ.

DE CEREBELLO & eius sinu.

Huc figura 11. lib. 7. referenda.

CAPVT IX.

CEREBELLVM (8. *fig. RR.*) παρεγκέφαλις in posteriori capitis parte, tanquam alterum Cerebrum collocatur, & nõ secus quàm Cerebrum vtraque menynge integitur. Substantia eius minus quàm Cerebri dura, anfractibus etiam ab ipsius cerebri anfractibus, diuersis.

Duos processus ex multis particulis inuicem tenui membrana copulatis & in medio constitutis obtinet, qui cùm vermibus figura sint similes, σκωληκοειδεῖς ἐπίφυσες, excrescentiæ seu processus vermiformes dicuntur. Horum vnus partem anteriorem respiciens, natibus & testibus adiacet & meatum tertij ventriculi ad quartum apertum retinet: alter verò parte posteriori spinali medullæ incumbit

& versus quartum ventriculum reflectitur, ne quarti ventriculi ductus à Cerebello pressus, obstruatur.

Vsus Cerebelli Arantio: vt in ipsius centro sinus is locum haberet, qui animæ spiritum in ventriculis elaboratum recipit, quo in ipso summam perfectionem acquirat: indeq; non solùm ad septem neruorum cõiugia ab ipsa medulla efformata, sed etiam ad singula spinalis medullę paria, per omnem corporis regionẽ dispergãtur. Sed de hoc sinu, ex eodẽ paucis.

In cerebelli propemodum centro parte maximè recõdita, Cauitas est, à capitis basi & occipitij foramine nõ admodum recedens. In hanc quartus dictus cerebri ventriculus qui potius canalis quidam cẽsendus, à tertio cerebri ventriculo, inter cerebellum & spinalem medullam ad occiput descendens, confectos animi spiritus defert: in primo autẽ aditu quo dictus canalis, sinum hunc cisternam dictum, pertingit, corpusculũ dimidij ciceris magnitudine extuberat, quod ei cauitati ad custodiã est præfectum.

fectum. Differt autem ab aliorum vētriculorum natura, huius enim figura ad ſphæricam accedit, ita tamen vt latitudo longitudinē excedat: ea deniq; forma, quæ cerebelli ſuperficiei appoſitè reſpondeat, ac penè duplex indiſtincta tamē, videtur. In hoc nulli ſunt plexus reticulares, quia puriſſimos animæ ſpiritus, qui vlteriori non indigent elaboratione, cōtinet. Amplitudo huius, ſinus tanta, vt nucem non admodum grandem, intra eum quiuis facilè recondere poſsit. Hunc ventriculum ſpinalis medulla amicè amplexatur, cerebello interim connectitur & continua euadit, vt quicquid ſpirituū ciſterna, quaſi eorundem promptuarium continet, illud celerrimè ſpinali medullæ, iamiā ab occipitij foramine prodeunte, ſubminiſtrare queat.

Sin9 hic facilè patebit ei, q inferiori tertij vētriculi foramini ſtylū ſub teſtib. indiderit, & ad quartū dictū vētriculū deduxerit, ac teſtes ſeparauerit, tūc & cauitas hęc, & prępoſitū tuberculū patebit. Hacten9 de Cerebello.

DE SPINALI MEDVLLA eiusque Neruis.

CAPVT X.

SPINALIS medulla quę μύελος ῥαχίτης Græcis (17.*fig.P.*1.*fig.lib.* 4. 4.) nil aliud est, quàm cerebrũ oblongum, quibusdã verò Cerebelli processus, per totius spinæ vertebras delatum, à Cerebro (10.*fig. AA.*) & cerebello (10.*fig.K.*) portiones assumens.

Tribus membranis, quas ἔλυτρα Hippo. vocat innectitur: prima à mẽbrana vertebras complectente: altera à dura matre: tertia à pia matre: his remotis, medulla lineæ instar in duas partes à pia matre diuiditur, qua dissecta diuisio apparet, tũ adhuc vtrinque duæ cauitates, ex quibus Nerui prodeunt, apparent, quę sibi inuicem in prima cauitate non respondent. Dextri enim lateris nerui ex cauitate dextra: sinistri verò ex sinistra prodeunt, hinc paralysis vnius lateris fieri potest.

Huc refer libri quarti, capitis vndecimi figuram primam.

Cùm

Cùm autẽ Nerui egrediuntur, plurimis procedunt fibris, quæ in ipsa vertebra coniunctę, nodum efficientes, vertebra egrediuntur. Vbi verò Spinalis medulla ad sextam vel septimam thoracis vertebram *(C)* peruenit, nõ amplius integra deorsum ducitur, sed multorum funiculorũ imaginem, refert, qui rectà deorsum ad ossis sacri finem *(H)* abeunt: Neruorũ autem spinalis medullæ paria, vt & hoc addamus, sunt triginta.

Colli vel ceruicis *(à B. ad D.)* paria septem sunt.

Thoracis *à D ad E.)* quibusdam vndecim, aliĳs duodecim sunt.

Lumborum *(ab E ad F.)* quinque sunt paria: aliquando verò solùm quatuor.

Ossis sacri *(ab F ad G.)* paria sex sunt.

Libri quarti capitis vndecimi figura secũda & tertia hos exprimit. Neruorum verò in Manum & Brachiũ paria aliĳs quinque, aliĳs sex distributa sunt, *(quarum primus ππ, secundus ϱ, tertius τ, quartus φ, quintus ϰ, sextus ȣ*

notatur) qui ex quinta, ſexta & ſeptima colli, prima atq; ſecunda thoracis vertebra prodeunt, de quibus in Manus hiſtoria.

Femoris deniq; tertius nerui ſunt quatuor (*quarũ prim9 fig. 3. chara. 57. notatur: ſecundus 60. tertius 66. quartus 71.*) q ex tribus inferiorib. partib. neruorũ lumborũ, & quatuor ſuperiorib9 oſsis ſacri originẽ ducũt: quorũ quartus omniũ neruorũ corporis craſsiſsim9, ſicciſsim9, duriſsimus & validiſsimus exiſtit, de quib. in Pede.

Et hęc de Cerebro, cerebello, ſpinaliq; medulla, ex cõmuni Anatomicorũ ſentẽtia hactenus: nunc nouã, quæ inuerſa fit Methodo, capitis ſectionẽ ac ante annos plus minus decẽ, à nobis in hac noſtra Academia publicè demonſtratam, aggrediamur.

DE CEREBRO EIVSQVE partibus ſententia altera.

CAPVT XI.

Figuras hãc ſectionem declarantes, vnà cum alijs proximè dabimus.

CVM ex communi Anatomicorum ſententia cerebri ſtructurã propoſuerimus, quid veritas, & ipſa doceat Anatome, nunc exponamus.

mus. Cōmunis enim administrādi ratio est, à partibus superioribus sectionē exordiri, remouēdo primū caluarię partē superiorē, dein mēmbranas, tum substantiā cerebri vsq; ad vētriculos, postmodū plexum reticularē, fornicē, tertiū ventriculū cum duobus ipsius foraminibus, glandulā pinealem, nates, testes, cerebellum cum suis partibus, quartum ventriculum, spinalem medullam, neruorū paria, olfactus organa, & tandem infundibulum cum glandula pituitaria & rete mirabili, demonstrare.

Sed si noua methodo instituamus sectionem, ab opposita capitis parte administrationē inchoabimus, studiosè tamen curandum, vt recens caput sit, non flaccidum: frustra enim hanc sectionem tentaueris. Quare sectione per capitis longitudinē tàm parte superiore, quā inferiore, tā parte anteriore quàm posteriore, ducta, omnia capitis ossa à dura matre remouēda, ita vt cerebrum cum oculis appensis, neruorum paribus & spinali medulla, remaneāt. Dein, cerebrū inuertēdum, ita vt basis in superiori sit

parte, remouēdaq́; dura mater cauē-do (si fieri posſit) ne nerui disrumpā-tur, quo ipsorum origo quæ est à spi-nali medulla, ostendi posſit. Tum ad partium cerebri cōsiderationem ve-niendum.

DE SPINALI MEDVLLA.

Primò ergò à Spinali medulla ex-ordiendum est, quam ex infima cere-bri basi in occipitio oriri voluerunt. Verùm cū ipsa spinalis medulla in-tra caluariam in propria sede mem-brana tenui, lucida & robusta firme-tur, mediante qua anterius cerebro, posterius cerebello annectitur, ea le-uiter forcipe à subiectis partibus re-mouenda. Dein Spinalis medullæ exortus perquirendus, quæ ex ante-riore cerebri parte prodit ex quatuor (*quod ex decima libri septimi figura colligi aliquo modo potest*) veluti radi-cibus conflata, quarum duæ maiores (*AA*) ex duabus cerebri partibus se-de ea in qua ventriculi ab anteriori cerebri prominentia ad mediam re-flectantur: dein ex duobus breui-bus cerebelli truncis (*I.K*) ex inferio-

ri eius

ri eius parte vtrinq; enatis, qui duobus cerebri processibus iunguntur, ita vt ex quatuor duo fiant, qui vniti integram ſpinalem medullam conſtituunt.

DE CEREBELLO, AVDItusq; Neruis.

Secundò Cerebellum venit perpendendum, quod præter duos vermiformes proceſſus hactenus demonſtratos & duas partes laterales quę à dextro & ſiniſtro latere duos globos inuicē appoſitos cōſtituunt, (quos etiam demonſtrare oportet) nouum adhuc & inſignē proceſſum habet, Pontem cerebelli dictum, qui vtrinque ex cerebello prope prædictos truncos oritur, & per trāſuerſum in anteriora inferioraq; fertur, mediāte quo, cerebellum ſpinalem medullā amplexatur. Ex hoc cerebelli proceſſa, non autē à Cerebro, vt voluerunt, Nerui auditus naſcuntur, ita vt eum cerebelli etiam uſum eſſe appareat, vt ſenſus auditus ſit primum principiū.

DE NERVIS OCVLORVM.

Tertiò ad neruos oculorum ac-

cedendum: duo autem neruorum paria ad oculos mittuntur, quorum primum Opticorum, secũdum Motoriorum est.

Neruos Opticos, ex basi cerebri parte anteriore, exoriri statuant, cùm tamen vlterius versus occiput ferantur, inter cerebrum & spinalis medullę principium: qui ex principio truncorum priorum spinalis medullæ, qua ventriculorum cerebri cauitatem respiciunt, exoriuntur: quod ei patebit, qui inter ipsos & partes quibus inhærent, specillum intromiserit.

Neruos verò Motorios propè opticos exoriri volunt, cùm tamen (si modò portiuncula quædam cerebri versus medium incidatur) à cerebro distincti, ad mediam capitis sedẽ accedant, & infra opticos progredientes, intercussationem faciant: qui ad intimam partẽ principij spinalis medullæ enascuntur, ac in ortu sic vniũtur, vt in angulo se mutuo contangant, & hinc fortè fit, qd' ambo oculi simul ad easdẽ partes moueant. Reliqua enim neruorũ paria, vtpote tertius

tius quartum, quintum, ſextum, ſepti mum atq; octauũ à ſpinali medulla: non autem à cerebro oriri, etiam Columbus fateri cogitur: ſed & duo priora paria exinde oriri, ex prędictis patere arbitror.

DE OLFACTVS INſtrumentis.

IV. Inſtrumenta olfactus, ex cerebri baſi propè neruorum opticorum coniunctionẽ naſci volunt. Verũ horum inſtrumentorũ ſolùm dimidium hactenus oſtenderunt: progreſſus enim eorũ eſt ad poſteriora, & quanto magis progrediuntur, tanto inuicem recedunt, magiſq; attenuantur, quouſq; ad extrema cerebri latera in regione quæ eſt ſupra foramina auditus in mucronem acutiſsimum, inde nimirum exorientes, finiant: & hæc fortè ratio, cur olfactu læſo, ſimul & auditus nonnihil afficiatur.

DE VENTRICVLIS CEREBRI, vt & natibus & teſtibus.

His viſis, oculiſq; remotis & neruis opticis in ſuũ lat9 diſtractis, pōs cerebelli,

belli, ſpinaliſq́ medulla per longitudinem in duas partes ſecanda venit: dein Cerebellum penitus remouendũ, & altera ſpinalis medullæ portio in ſuum latus trahendum, Cerebrũq́ ex altera vnius extremitate tàm parte anteriore, quàm poſteriore incidẽdum, quo ventriculorum cerebri magnitudo & figura pateat.

V. Ventriculos quatuor eſſe, cõmunis eſt ſentẽtia (licet quidã quinq́ ſtatuant, prædictos tres ſtatuentes, quartũ verò eundẽ nominãtes, & ſub his duos alios ſinus quos vẽtriculos ab Hippocãpo denominat Arãtius: hi tamẽ ſinus duo, ſunt reuera ipſi vẽtriculi cerebri, de quibus hoc loco agimus) quorum duo in anteriori ſint parte: cùm tamen eodem modo tàm in media & poſteriori quàm anteriore cerebri parte ſiti ſint, quorum hactenus vix quarta pars fuit oſtenſa, cum proportione totius cerebri magnitudini, eiuſq́ prominẽtijs quoad formã correſpõdeãt, ita vt Cerebrũ, quod in ambitu ventriculorum craſſiſsimũ, ſit corticis inſtar qui geminas has

has cauitates ambiat, qui corporis callosi beneficio ita distinguuntur, vt vnus vẽtriculus dici non poſsit. Totum enim Cerebrum vt & ſpinalis medulla, in duas partes diuiditur, ſolumq́ in media inferioriq́ parte, beneficio corporis calloſi iũgitur, quod nihil aliud eſt, niſi Cerebrum in ea parte cõiunctum (niſi Cerebrum lubeat, in Cerebrum & Medullam cerebri diuidere, cerebrumq́ vocare id quod ventriculos cingit: medullam verò, cui ventriculi inſint, cuius calloſum corpus, portio ſit quæ coniunctio, conuexitatem quandam habet, connexioni Cerebri parte ſuperiore proportionatam. Hoc, hactenus non integrum oſtenſum, cum ſagitalis ſuturæ longitudinem æquet, hoc etiam cæteris partibus duriorem volunt, cùm alias Cerebri partes mollitie æquet, & inſtar ventriculorum albicet.

Fornix, quod ab ipſis appellatᵣ, corporis calloſi pars eſt inferior, ſub qua

Tertium ventriculum oſtendunt, cuius cõſtitutio talis eſt: duo ſpinalis.

me-

medullæ maiores trunci rotundi, in primo contactu, concauitatem quã-dam leuem & angularem faciunt, cui basis cerebri vnita, superiacet: ex quo contactu, spatium quoddam tertius ventriculus dictus, qui tamen extra cerebrũ est, ex necessitate formatur.

Quartum ventriculum, sinum illum, qui inter inferiorem cerebelli partem & superiorem trũcorum spinalis medullæ & extra cerebrum, cerebellũq; est, faciunt. Quo loci spinalis medulla instar calami scriptorij excauata visitur, idq; quia trunci duo à cerebello ad spinalis medullæ cõstitutionem enati (antequam cum duobus è cerebro enatis truncis vniantur) supra maiores trũcos inuicẽ distantes aliquãtũ progrediuntur, ita vt cauitas illa necessario sit exsculpta.

Tertio ventriculo, foramen parte posteriore, quod aliqui ano simile dicunt, constituunt, quartũq; ingredi ventriculum asserunt: quod nihil aliud est quàm spatium, ex contactu quatuor truncorum spinalis medullę efformatum, vbi truncus cerebelli, trun-

truncis è cerebro enatis inhærent.

Nates & Testes, velut quatuor orbiculares prominẽtias in cerebro ponunt, cùm tamẽ sint extra cerebrum, circa spinalis medullę principia: ita vt nates nihil aliud sint quã portiones radicũ spinalis medullę à cerebello ꝓnatorũ: quẽadmodũ Testes, exiguæ portiones radicũ à cerebro ꝓdeũtiũ.

Quoad vsum ventriculorum cerebri (communis est sententia,) eos esse spiritus animalis locũ, quemadmodũ sinister cordis ventriculis spiritus vitalis sit: verũ vnius partis cũ diuersæ vtilitates assignari possint: sic & hoc loco cum Hippoc. Pituitæ locum in cerebro esse dicat, credimus etiam ipsorũ vsum esse, vt humoris pituitosi in Cerebro geniti sint receptacula, qui per infundibulum ad palatũ defertur & expurgatur: ad solum enim infundibulum, nec ad alium locum, vẽtriculi exitum habẽt: spiritus verò animales per totius Cerebri, Cerebelliq; substãtiã disseminatos putamus.

DE PLEXV RETICVLARI.

Plexus tandem Retiformis, in Ce-
rebri

rebri ventriculis existẽs, ex toto glã-
dulosus videtur, ita vt & substantia
& colore glãdi pineali assimiletur: di-
ligenter tamen si tractentur, nil nisi
membranę quędam latiusculæ ex te-
nui membrana pronatæ & oblongæ
sunt, ex quarum parte altera, secundũ
totam longitudinem vasculũ quod-
dam crassiusculũ humore excremen-
titio plenum, appensum est, quod in-
testinum mesenterio adnexũ repræ-
sentat, per quod vasa angustissima fe
runtur: ac in hoc glandulæ sunt lon-
gè in maiori copia, proportione ha-
bita, quam in mesenterio, quod pul-
chrè apparet in capitibus eorum, qui
cerebro sunt humido, & qua re Ple-
xus glandulosi potius quàm retifor-
mes dicendi. Horum vsus esse vide-
tur vt superfluam cerebri humidita-
tem aliarum glandularum more de-
pascantur. De rete mirabili & glan-
dula pituitaria quæ penè qua-
drata est, idem vt & prius,
iudicium esto.

DE

DE CAPITIS PARTE glabra, Facię nimirum.

CAPVT XII.

ALTERA capitis pars *FACIES* dicitur, aliquibus tota capitis pars glabra inter capillos & mẽtũ: aliquibus verò, totũ id quod sub supercilijs est, Facies dicitur: quod verò supra est, Frontẽ dixerunt. Huius partes aliæ sunt continentes, aliæ contentæ. Continentes, vel communes, vel propriæ. Communes sunt prædictæ quatuor, Cuticula, cutis, quæ in facie, vt & pene, scroto & digitorum extremis, tenuissima est. Pinguedo, quæ exigua: & Panniculus carnosus, qui in fronte musculosus dicitur. Propriè sunt musculi & ossa. Musculi, alij Frontis, alij superciliorum, alij palpebrarum, alij narium, alij aurium, alij labiorũ, alij maxillę inferioris, alij deniq; buccarum.

Ossa verò sedecim, aut septemdecim: alia ad oculos referuntur, sex nimirũ: alia ad nares, tria scilicet: alia ad os, hæcq; vel maxillę superioris, duo

nimirum, vel inferioris totidem: vel tãdem palati, itidem duo: de quibus in oſsium dicetur hiſtoria.

Contentæ, ſunt quatuor ſenſuum domicilia: vel ipſius viſus, Oculi: vel olfactus, Nares: vel auditus, Aures, vel guſtus, Os, in quo guſtus inſtrumentum Lingua, vociſq; Larynx, de quibus ſingillatim.

DE MVSCVLIS Frontis.

CAPVT XIII.

Tab. 1. Muſcul. A. FRONS mobilis, dũ tenditur, corrugaturúe varios animi affectus denotat: mouetur autem mẽbranæ carnoſæ beneficio quæ ſubiectæ cuti fortiter connata in muſculoſam ſubſtantiam fibris rectis donatam, abijt: ad quam à minori tertij paris neruorum ramo, nerui mittuntur. Huius à ſuperiori parte exortus ſtatuitur, ac in ſuturam, quæ capitis os à maxillæ oſsibus ſeparat, terminatur, inq; duas partes à quibuſdam diuiditur. Hic, ſupercilia ſurſum trahit.

DE

DE OCVLIS ET PARtibus eis circumpositis.

CAPVT XIV.

OCVLOS, visiuæ facultatis organa nobis natura dedit, quibus si careremus, ordinem naturæ, vt inquit D. Plato, ignoraremus: ad rerum enim scientiam, vt habet Aristoteles, plurimum cõferunt, quam ob causam diuina membra Galenus nominauit, vt fusiùs in trac. part. externarum. Hi vt speculatorum munere fungerētur, in eminentiore corporis parte, penes cerebrum siti sunt. Horum partes aliæ propugnaculi causa oculis circumpositæ, aliæ verò ipsos constituunt. Propugnaculi gratia natura apposuit supra quidem, os frontis & supercilia: infra, os superioris maxillæ, os iugale & nares: tandem palpebras & cilia.

Supercilia ὀφρύες Aristoteli, hirsutæ sunt frontis extremitates Ruffo, quæ valli instar à natura oculis sunt concessa. His Columbus duos tri-

buit muſculos, in poſteriori capitis parte ſitos, à lambdoidea ſutura ſupra mammillares proceſſus exortos, triangulares & in carnoſam, membranam deſinentes, quorum vſus ſit frõtem, cutemq; capitis poſteriora verſus abducere.

Palpebris ſeu potius Genis (βλέφαρα Græcis) tactu molliſsimis, ne ipſorum acies lædatur, teguntur, quæ à Pericranio, antequam adnatã oculi tunicã efficiat, enaſcuntur, quarum aliæ inferiores, quieſcentes: aliæ, ſuperiores, oculum ne quid noxij incidat obtegunt, celerrimeq; duorum muſculorum ope, retegunt.

Tabula tertia, Muſculorũ & figura quæ habetur lib. 2. capite nono.

Palpebram claudẽs muſculus, exterior eſt membranoſus, à naſi radice exortus, oculi exteriorem circumferentiam totam, parte interiore excepta occupat, qui fortè muſculi frontis pars eſt. Hunc Veſalius (*C D E*) in duos diuiſit, cuius pars ſuperior palpebram attollat (*A b C*) inferior verò detrahat (*C D*) qui tamen ſupernè

(*F*)

(F) concurrant. Hicq; ſunt duo palpebræ muſculi Veſalio: & Syluio, qui muſculos cilium ſupernum mouentes nominat. Columbo verò & Fallopio, primus eſt. Huius munus eſt, fibris contractis palpebram claudere.

Alter verò Palpebram attollens, huic oppoſitus, parte ſuperiore intra oſsium cauitatem vnà cũ oculi muſculis ſitus, ad palpebræ extremũ inſeritur, cuius munus eſt, fibris intrò contractis palpebram attollere & oculum aperire. Hicq; Colũbo & Fallopio, ſecundus eſt: Veſalio verò & Syluio, ignotus.

Tertium his addit Columbus, figura tereti, eodem quo ſecundus loco enatum, qui obliquè verſus internum angulum in palpebrã tereti ferè tẽdine finiat: cuius tẽdinis portio, aliquãdo corneam inſeratur. Vſum ipſius eſſe, Palpebram trahere & oculũ aperire. Hunc alij oculi circumactorem, & rectè, dicunt.

Cilia, palpebrarum ſunt extrema, dura cartilagine ταρσος dicta firmata, qui-

ta, quib. Pili qui βλεφαρίδες, aliis cilia, infigũtur. Hi tàm in superiore quàm inferiore palpebra, visui dirigendo inseruire dicuntur.

Anguli etiam duo sunt, quorum is qui prope nares situs est, maior & internus canthus dicitur, quo lòci foramina minutissima lachrymarum causa facta, quæ puncta lachrymalia dicũtur, existunt. Alter verò tempori finitimus, minor & externus cãthus, nominatur.

Caruncula (*lib. 7. cap. 13. figu. 19. λ*) in maiori cantho est, quæ humiditatem continet ad oculum (quo melius ipsius actio perficiatur) lubrificandum. Sed & foramini cuidam, Nasi ossi insculpto operimento est, per quod oculi excrementa in nasum destillant, quæ à caruncula retinentur, ne per angulos refluant & nos semper lachrymare faciant.

DE

DE PARTIBVS OCVlum constituentibus.

CAPVT XV.

PARTES oculum constituentes quinque sunt, Pinguedo, Musculi, Vasa, Tunicæ & Humores. Pinguedo, potissimùm inter neruos secundi partis & inania musculorum spacia (*lib.2.cap.11.fig.1.FG.*) reperitur: huius vsus, ne oculi ex cõtinuo motu exsiccentur, musculiq́ꝫ quasi humore irrigati, promptiores ad motum reddantur: & vt externis frigoris iniurijs, faciliùs resistant.

DE MVSCVLIS Oculum mouentibus.

CAPVT XVI.

Libri secundi, capitis vndecimi figura prima & secunda, huc faciunt.

OCVLORVM musculos Galenus & cũ eo Anatomicorũ pleriq́ꝫ, septẽ statuerunt. Fallopio verò sex. Colũbo quinqꝫ, q quatuor aliorum musculos admittit, quintum verò suũ inuentũ esse dicit, admonẽs alios Anatomicos duos palpebræ

musculos huic quaternario addidisse. Valuerda quatuor tantùm cõstituit, nimirũ eos, qui rectis motib. prȩsunt.

Oculi humani cum quatuor sint motus recti & duo circulares, ex Gal. 1. de mot. musc. 3. sex erunt musculi, quorum duo sursum & deorsum, duo ad dextram & sinistram, duo verò circumagunt, qui tamẽ omnes intra caluariæ cauitatem, neruum opticum comitantes, siti sunt, qui à dura matre exorti dicuntur: horum tamen quatuor priores ad angulos distributi, & obliquus is, qui per trochleã ducitur, à sphænoidis osse, iuxta foramẽ à quo nerui visorij prodeunt, exoriũtur: obliquus verò alter breuis, à sutura, vel rima quadam maxillȩ superioris ossa distinguẽte, originem habet, quod ei patebit, qui post cerebri anatomen osis oculo incumbentis superiorem circumferentiam serra abstulerit, ad nerui visorij exortum: id autem tentandum, antequam semicorrupti flaccescãt, aut exiccentur, & antequam è sua orbita effodiantur. Oblongi autem sunt hi musculi, re-

ctisq; fibris donati, qui tandem in mē braneum tendinem abeunt, & in corneam desinunt, Columbiq; secundam tunicam constituunt.

Primus (*H*) vt & secundus (*I*) carnosus, teresq; existit, quorū alter parte superiore, alter parte inferiore locatur: ille quia oculū sursum agit, Attollens: hic verò, quia deorsum mouet, Deprimens dicatur.

Tertius & quartus (*K & L*) succedit, quorum alter ad latus dextrum, alter ad latus sinistrum locatur, inq; latera mouent, quorum alter Abducens, alter Reducens, dicatur.

Quintus (*N*) longus est, & sub reliquis obliquè situs, se ad trochleam, quæ in maiori est angulo inuertit, hicq; oculum circumagit, & trochleator, siue amatorius, alijs circumagens dicitur.

Sextus (*M*) eodem cum quinto munere fūgitur, & oritur ab osse sub maiori angulo, quorum alterum supernum, alterum infernum circumagentem nominare licet, hunc palpebræ musculū Columbus dicit: Hunc

si quis cũ trochlea rectè inspicere velit, os à superiori parte abscindat oportet, vt oculus in sua sede maneat.

Septimum his alij addunt (*fig. 2. O*) qui magnus est, à prædictis vndique occultatus, qui in plures partes separari potest, solus neruum Opticum (*B*) ambiens & muniens: hic à radice oculi originem ducit, & in duram oculi tunicam propè dimidius inseritur. Cuius vsus oculum continere, sustinere, & alligare: vel potius, esse tegumento visorio neruo: hic in brutis, cùm prona terram spectent, fuit necessarius: in homine, cùm erectus ad sydera tollat vultus, non fuit necessarius, prȩsertim cùm quatuor primi, dum quiescunt, id muneris absoluere possint.

DE VASIS OCVLORUM.

CAPVT XVII.

VEnæ quæ ad oculum mittuntur, à Iugularibus venis:) Arteriȩ verò, à carotidibus, per musculos, & pinguedinẽ, ad insiti caloris mode-

moderationē diſpergũtur, & per mē branas diſtribuuntur, vt ex lib. 7. cap. 13. fig. 13. 16. 17. 18. & 19 patet.

Nerui oculorum duplices ſunt, ad quemlibet enim oculum vnus mittitur, quorum ope facultas viſiua à Cerebro proficiſcitur: hi craſsi, poroſi, raræq; texturę, ab vtraque cerebri mē brana inuoluuntur, & Optici dicuntur. Hi homini, recta ferè linea à cerebro in duram oculi tunicam in ipſius centrum inſeruntur, eò quòd vni tãtùm homini rectà proſpicere, cœlũq; videre liceat: brutis verò velut equo & boui, quorum oculi ab inuicem plurimum recedunt obliqua inſigniter linea, viſorij in oculi ambitũ pertingunt, & priuſquam ad centrum perueniant, in duram oculi tunicam deſinunt, quò fit vt brutorum lumina vtrumq; telluris latus ad progreſſum tantummodo, alimentaq; capienda ſpectare, apta ſint creata.

Motorios, ſecundum cerebri par cõſtituit, qui ad quemlibet muſculũ, ad ipſorum motum neruulum mittit, de quibus priùs capite octauo.

DE

DE TVNICIS OCVLORUM.

CAPVT XIIX.

Ad horum explicationem faciunt, 1.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.& 19. figuræ.

TVNICARVM diuersus apud authores est numerus, Arabes enim septem, Græci vt plurimum quatuor cõstituũt: Galeno & Ruffo, quatuor: Syluio, quinq;: Vesalio, Columbo, & Fallopio sex: Fuchsio, septem: nos autẽ alias toti oculo communes, alias verò humorũ proprias esse dicimus, quæ tunicę nomen mereantur. Communes duæ sunt, Cornea, Vuea.

Humorum propriæ duæ Arachnoidis seu discoidis, & Hyaloidis seu vitrea. Sed has quatuor ordine Anatomico, vnà cum aliorum tunicis recenseamus:

I. & extima est Adnata quasi adscititiæ ἐπιπεφυκὼς dicta, (18. ηη 1. fig. Q.) vulgo cõiunctiua, quod oculum capiti cõiungat, & à colore alba: quæ tenuis & alba & pericranio originẽ ducit,

ducit, cuius interuentu oculus tenet, & orbitæ adhærescit. Hæc Galeno, Syluio, Colũbo, prima est: Fallopio, secunda: Vesalio, quinta: Fuchsio, septima. Hæc tñ verius ligamentũ est, quo ocul9 superciliis alligatur, & interiorib. ossibus, vt & nomẽ ostẽdit,

II. est Innominata Colũbo, quã secundã facit, quę à nerueis musculorũ tenuitatibus nascitur, & propè Iridẽ sub adnata terminatur: hæc cum nil sit aliud, quã musculorũ ἀπονεύρωσις, cum musculis demonstranda venit.

III. Cornea (1. *figu. M.*) κερατοειδὴς cornicularis, quod cornu instar sit pellucida: aliis crassa, à substantia (talis autem ne quibuscunque iniuriis obnoxia esset, neque leuissimis occursionibus cederet) & dura, quod à dura cerebri mẽbrana producatur. Hæc in anteriori parte diaphana est, quo spiritus visiui transire possint, siue emittẽdo, siue recipiẽdo visio fiat. Rotunda est & circularis, vt sc. rerum etiã maximarũ ideæ & species percipiantur, & quidẽ integræ appareant, quod rotunditatis beneficio fit: vt in fragmen-

fragmẽtis oblongis ſpeculorũ, faciẽ integram non cernimus, ſed quouis fragmẽti tuberculo, totam conſpicimus: ſic ſi corneę pars diaphana, alterius quàm circularis figuræ eſſet, rerũ maximarũ ſymulachra ad oculũ peruenire nõ poſſent. Polita & leuis eſt, vt in eo ſpecies rerũ refulgeant, ac cõmodè recipiant. Poſteriore verò parte opaca eſt & craſſa, vt & vuea, quo ſpecies receptę multo clarius eluceãt: ſic videmus in ſpeculo fieri, ſi corpus denſius à parte poſteriore ſit adpoſitũ, imagines intuentiũ videmus, non idem, ſi corpus denſius remoueatur.

Hinc Fuchſius Arabes ſecutus, duas ex hac fecit tunicas: partẽ enim anteriorẽ pollucidam corneã, quam Auicenna quadruplicem fecit, cùm cornu inſtar in plures partes diſtrahi poſsit: poſteriorem verò à duritie σκληρότlω & durã vocauit. Huius beneficio oculum ſiſtitur & cum oculo neruus inueſtitur: hæc enim ſola, totum oculum cingit. Hanc Galenus & Syluius, ſecundam: Fallopius, primam: Columbus, tertiam: Fuchſius,

ſius, quintam & ſextam fecit.

IV. Vuea, ῥαγοειδής (1. *fig.* G. 14. *fig.* & 15.) quod vuæ acino colore ſit ſimilis: Ruffo Acinatis & Vualis. Hæc à tenui cerebri mēbrana exorta (quare χοροειδής dicta) poſteaquam Neruū opticum inueſtijt, vox ſub cornea dilatata, anteriora petit, non totum, vt cornea ambiens, ſed perforatur (vt ſit tranſitus acceptis ſymulachris) & pupillam efformat, quæ in homine rotunda eſt, in brutis verò, oblongæ rimæ ſpeciem refert: dein ad Iridis principium porrigitur, ibique duplex efficitur. Hæc parte ſua externa nigra eſt, ad ſpirituum diſsipatorum collectionem: in interna autem, magna colorum, præſertim in brutis, varietas, idq; vt oculi ſi claudantur, reficiātur: quemadmodum etiā externis potiſſimū viridi & cęruleo refici videmus. Hanc Fuſchſius cū Arabibus in duas diuiſit partes, anteriorem vueam. poſteriorē verò, quę nigra eſt χοροειδῆ: ſecundinā vocās. Hæc Galeno, Syluio, Veſalio, Fallopio, tertia eſt: Colūbo, quarta: Fuchſio, tertia & quarta.

Pupilla,

Pupilla, *χόρη* (1. *fig. I.*) & visio ab hac constituitur tunica; estq; id quod in centro oculi puncti prænigri instar cõspicit, cuius ope videmus, qua dilatata vel coarctata, rectiꝰ deteriúsue cernimus. Nigram esse dicit Hippoc. eò quòd in profũdo sit sita: forte etiã, quòd tunicæ nigræ eã circumuestiãt.

Iris verò, nonnullis *στεφάνη*, circulus est varijs coloribus distinctus, quam colorum varietatem, Aristoteles ad humores, alij ad vueam tunicã, quæ non in omnibus concolor est, retulerunt.

Humorũ tunicę proprię duæ sunt, alia chrystallini, alia vitrei humoris est.

V. Aranea, (9. *figur.* 10. *fig. d.*) chrystallini humoris tunica propria est, quę *ἀραχνοειδὴς*, Araneiformis: Rufo, *δυσκοειδὴς* & lenticularis à figura: vel chrystalloidis, ab humore: alijs speculum, quòd speculi instar pellucida sit. Est enim tenuissima, splẽdẽs, ceparum pelliculis, vel aranearum telis simillima: huius vsus est, chrystal linum humorem parte tàm anteriore quàm

quàm posteriore, stabilire & integere. Hæc Galeno, in qua dicit pupillæ εἴδωλον velut in speculo consistere, quarta: Syluio & Fallopio, quinta: Vesalio, prima: Colũbo, sexta: Fuchsio, secunda. Rufus verò in duas partes diuidit, in hanc quæ chrystallinũ humorem parte anteriore integit, & quartam facit: ac in alteram quam tunicam (1.*fig.K.* 11.*fig.* 12.*hh.*) cilijs aut palpebrarum pilis (ob plurimas nigras lineas, quæ ab Vueæ circumferẽtia ad chrystallini humoris margines pertingunt) similem dicit Vesalius, tertiam constituens, ac Ciliarem vocans. Verum ligamentum potius est, quo Vuea extremę membranæ chrystallini iungitur. Fallopius, ligamentum ciliare vocauit: alii, cum Vitreali tunica idem dixerunt.

V.I. Vitrea ὑαλοειδής, vitrei humoris tunica, quam Vitream vocasse videtur Rufus: & aliqui cum Aranea eandem fecerunt. Verùm substantia ab Aranea differt, tenuissima enim quæ vitreum humorem vndiquaq; cingit. Hęc Fallopio sexta est, ab alijs

verò prętermiſſam, qui ab Arança & chryſtallinum & vitreum humorem, inuolui volunt.

VII. Retinam (13. *figur.*) retiformem ἀμφιβληστροειδῆ (quòd reti ſit ſimilis) tunicã, prædictis addunt: quæ ex Nerui optici ſubſtantia (13. *fig. k*) expanſa aliꝭs ex cerebri ſubſtantia, naſcatur: quæ propriè loquendo nō membrana, ſed res mollis, rubeſcēs, muco ſimilis exiſtit, quæ vitreū humorē reticuli inſtar ambit, & ad eū ex quorundam ſentētia, alimentum defert. Hæc Fuchſio, prima eſt: Veſalio, ſecūda: Syluio & Fallopio, quarta: Columbo quinta eſt.

Si ergò omnes tunicas colligamus, hic erit ordo Anatomicus, Adnata, innominata, cornea, quæ parte anteriore ſecundum Auicennam quadruplex, dura, vuea, ſecundina, retina, aranea ſeu chryſtalloides ſiue ſpeculum, ciliaris & vitrea. Reuera tamen tunicæ ſunt quatuor, Cornea, Vuea, Chryſtalloidis & Hyaloidis.

DE

DE HVMORIBVS oculorum.

CAPVT XIX.

Huc faciunt libri septimi, capitis decimiquarti, figura prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima, octaua, decima & duodecima.

HVMORES, intra oculorũ tunicas contenti, tres sunt, figura atque consistentia varij, lucidi tamen omnes atque perspicui. Aqueus nimirum, Chrystallinus & Vitreus.

Aqueus, Galeno ὑγρότης λεπτὴ, aut ὑγρὸν κατὰ τὴν κόρην (7. *figur.* 8. *fig. b*) humor tenuis respectu aliorum dicitur: alijs ὑδατοειδὴς, ob fluxibilitatem instar aquæ: à substantia & colore, recentioribus albugineus, vnde Aëtio ὠοειδὲς ὑγρὸν. Humorum est extimus, vniuersum spacium quod inter anteriorem chrystallini sedẽ, vueam tunicam (quæ eo loci duplex est) & corneam habetur, implens: qui paucus est, ita vt vix decimã oculi circũferẽtiæ partẽ expleat,

& in quo ſuffuſiones fieri ſtatuuntur. Excrementum eſſe volunt, eò quòd effuſus renaſcatur, ex chryſtallini nutritione genitum. Vſus eius eſt, non ſolùm ſpacium vacuum opplere & tunicas, ne oculus concidat in ſeſe, diſtendere, ſed potius præcauere ne chryſtallinus anteriore parte, ac Vueæ tunicæ pars interior, exſiccetur & concidat: eo enim effuſo vel exſiccato cõcidit, rugoſa & opaca redditur, néue cornea chryſtallinũ attingẽs, viſionem deprauet: vel etiã quo exteriorũ colorũ impetuoſiorẽ ad chryſtallinũ occurſum impediat: vel potius, vt rerũ viſibilium ideas eleuet, vt eæ plenius multo ac rectius percipiantur. Cũ enim rerũ externarũ imagines ad anguſtũ corneæ foramen peruenêre, humoris aquei ratione quaſi attolluntur, vt tum viſio rectiùs perficiatur.

Chryſtallinus huic ſubiacet, *κρυσταλλοειδής*, (I. *A. 2. & 3. fig. tota.*) glacialis, quod puriſſimo chryſtallo & glaciei colore ſit ſimilis. Hic in centro penè oculi ſitus eſt, tunica quã Speculum

culum vocant intectus, quem parte posteriore vitreus humor (5.*fig.T.6.V.*) ambit. Est autem albus, clarus, splendēs, mediocriter durus (vnde à Galeno de sympt. causis inter partes solidas refertur) figura anterius depressa, posterius rotunda: vnde Aëtio, φακοειδὴς lenticularis. Vsus est, vt sit primum & præcipuum Visus instrumentum, cuius actio mediante tunica adaugetur: si enim Characteribus applicetur, tunica adhuc intectus, maiores videbuntur, quam si solùm humor apponatur, vnde fortè specillorum inuentio prodijt.

Vitreus ὑαλοειδὴς, & vitriformis, (4. & 5.*fig.*) à vitri fusi, tàm quoad substantiam, quàm colorum similitudinē, humorum est vltimus, posteriore sede locatus, quo spiritum visiuum, ne subito dissipetur, aliquantum contineat. Substantia chrystallino mollior, aqueo tamen minus fluidus: cuius superficies anterior plana, posterior rotunda: in medio quo rectiùs chrystallinum amplectatur (4.*fig.S.*) concaua, qui licet à

retiformi dicta tunica cingatur, à qua fortè nutritur, beneficio venarum per retinā disseminatarū, propria tamen tunica donatur: hic multitudine chrystallinū & aqueum superat. Vsus ipsius est chrystallinum per διάδοσιν nutrire, in cuius nutritione, aqueus humor gignitur, dein, vt chrystallino sedem suppeditet.

DE NASO.

CAPVT XX.

NASVS, ῥὶς, Græcis, quod per eum excrementa, in ventriculis cerebri genita, effluant, dicitur.

Est autem propugnaculum instrumenti olfactus: primumq́; respirandi instrumentū: in faciei medio, quo odores, qui ad superiora feruntur, rectiùs recipiat, situs. Cuius duo foramina intus septo diuisa, ῥιτῖνες & nares, quod per eas animantia aërem accipiant ac reddant. Exteriores verò partes, πτερύγια alę, dicūtur, quod alarum modo nares occludant & recludant: sed de reliquis Nasi partibus

tibus externis qui volet, cõſulat caput 4. tractatus noſtri de Partibus externis.

Integitur Naſus cute, quæ in inferiori ſub ſepto parte craſſa, fungoſaque eſt, ac pilis quos Vibriſſas vocant, cingitur.

Conſtituitur autem ex Muſculis, Oſſibus, Cartilaginibus, Vaſis ac Tunicis.

Muſculis proprijs, quibus dilatetur & conſtringatur, donari pleriq; volũt: alij verò, beneficio muſculorum labiorum qui alas tangunt, id perfici ſtatuunt.

Qui proprijs fieri dicunt, horum alij quatuor conſtituunt, quorum duo ſint exteriores, dilatantes: duo item interiores, claudentes. Alij verò duos tantùm conſtituũt, dilatantes nimirum.

Qui duos conſtituunt proprios, volũt eorum exortum eſſe circa ſuturam, quæ eſt inter os frõtis & oſſa naſum cõſtituentia, quorum principium ſit acutũ & carnoſum, qui cũ fine muſculorũ frontis permiſceantur

tur & deorſum fibris rectis progreſſi latiores reddantur, inq; Naſi pinnas, triangulum penè efficiẽtes terminentur. Hos, dum pinnas ſurſum trahunt naſum dilatare, quorum ſe inuentorem dicit Columbus. Claudi verò naſum, non proprijs, ſed labiorum muſculis, vt qui aliquid naribus attracturi, ſuperius labium cõſtringere ſoleamus. Hos duos alij vt & Galenus ab oſſe malæ proficiſci volunt, ac iuxta principia muſculorum ad labia deſcendentium, fibris ſuis obliquis, alis ipſis inſeri: verùm non ſolùm ab oſſe malæ, ſed etiam à canali illo oſſeo, qui circa nares eſt, exoriuntur, quorum pars vna radici alæ naſi implantatur, eam extrorſum ſurſumq; mouens (3. *Tab. F.* 4. *tab. L*) Altera verò pars, ſuperioris labij parti inſeritur, illud ſurſum reuellens, ita tamen vt immota ala vehementer moueri non poſſit. Hos duos poſteriores, Columbus labri muſculorum portionem eſſe vult: Fallopio verò, quintum par eſt muſculorum faciei.

Qui

Qui quatuor conſtituunt, duos poſteriores tanquam dilatantes (4. *tab.L*) admittunt: alios verò duos tanquam conſtringẽtes in interiori nariũ parte (*ad regionem Ktab.*4.) conſtitutos, addunt, qui ab extremitate oſſis naſi exorti, tenues & membranei ſub tunica narium reconditi, in interiorem alæ regionẽ inſeruntur: qui alas introducere, & nares in repentinis inſpirationibus & exſpirationibus claudere, videntur: quod tamẽ ab inſpiratione proficiſci videtur. Hocque ſextum par eſt muſculorum faciei Fallopio, qui aliquãdo adſunt, in corpore nimirũ admodũ muſculoſo & naſuto, aliquando abſunt: quos Columbus adeſſe negat.

His addit Fallopius alium muſculum carneum paruum, qui circa radicem pinnæ narium exoriatur & per tranſuerſum vſque ad ſummum ferè naſi dorſum aſcendat, qui ad ſuum principium contractus, pinna depreſſa, nares claudat, & hoc octauum illi par eſt: quod Veſalius in

examine obser. Fallopij, partem mu sculosæ substãtiæ frontis, existimat.

Huc facit 1. & 2. cap. 9. lib. 1. figura.

OSSA narium cauitatem constituentia, parte superiore tria sunt, vtrinque vnum (1. *figura* Ξ. Ξ.) ossis quinti maxillę superioris portiones, sutura in dextrum ac sinistrum diuisa, quibus parte interiori septũ (*O*) quod ossis Ethmoidis seu octaui capitis ossis pars est, adhæret: parte verò inferiore (2. *fig.* Π) maxillæ os palatum constituens absoluit, quibus addi debent duo ossa spongiosa in interno naso sita, inæqualia, & aspera in eum finem, vt mucus illis adhæreat, alioqui assiduè destillaturus: hæc in lue venerea facilè eroduntur.

Cartilagines, pinnas & septũ narium constituentes, tribus superioribus ossib. adhærẽt: superior enim pars, inferioris veluti firmamẽtum est. Totus enim osseus esse non debuit, ne ex casu vel ictu potissimùm in infantibus facilè frangatur: dein etiam, quo cõmodius nares emũgi possint.

gi poſſint. Inferior autem naſi pars cartilaginea eſt, vt facilimè malorũ odorum aſcenſum, nares occludẽdo, arceamus. Tribus autẽ cartilaginibus abſoluitur, quarum duæ Alas conſtituunt (4.*muſ.tab.L*) tertia verò ſeptum cartilaginoſum dictũ, quod oſſeo ſepto reſpondet, conſtituit: mediante quo naſus in nares diuiditur, idq; vt vna parte obſtructa, altera & aërem attrahere & expellere poſſit.

Vaſa obtinuit, Venas à iugularibus: Arterias, à carotidibus: Neruos, à tertio pari cerebri: per foramina enim quæ cum oculis naſus habet communia, quæque vtrinq; ad maiorem vſque angulum perueniunt, neruus vtrinque haud exiguus à prædicto pari fertur ad tunicam, quæ intrinſecus naſi meatus ſublinit (*quæ exquiſitiſſimi ſenſus, quaque irritata, ſternutatio fit) in quam non ſolùm diſpergitur, verum etiam ad palatum vſque progreditur.

Tunica autem, hæc à craſſa me-

nynge

rynge oritur, cõmunisq; est & cõtinua ei, quæ os, linguam, laryngẽ, œsophagum ac vẽtriculum intrinsecus cingit.

Vsus, licet ornamenti gratia factus sit: ipsius tamẽ vsus, vt per eum aër cum odoribus ad mammillares processus deferatur: dein, vt instrumenti olfactus sit propugnaculum: tum, vt formationi vocis inseruiat, & foramina in palatum desinentia, per quæ ore clauso aërem attrahimus & reddimus instar operculi tegat: tandem, vt per eum excremẽta cerebri, aliquandiu ibi detenta, effluant.

DE PAROTIDIBVS.

CAPVT XXI.

ANTEQVAM de auriũ partibus agamus, de glandulis aurium radici adpositis, agere oportet. Sub aurium radice & retro inferiorem auris partem, locatę sunt glandulæ Parotides dictæ, quæ cerebri sunt emunctoria. Quemadmodum

modum & eæ quæ ſub mandibula inferiore & ſub muſculis aliquibus oſſis hyoidis & linguæ (vbi ſcrophulæ fiunt) ſunt locatæ. Illæ inſignes & craſſę ſatis ſunt, in quibus abſceſſus fiunt, quos à loco παρωτίδας vocãt.

Vſus pręcipuus non ſolùm parotidum, ſed & reliquarum glandularum hoc loci adpoſitarum eſt, mẽbranas & ligamenta maxillæ humectare, ne à validis & frequentibus incidendi, confringendi, alimenta comminuendi ac loquendi motibus facilè exſiccentur, ac motui circumactioni'ue, inepta reddantur: dein, vt vaſorum diuiſioni præſint: tum, vt aliquando, quod tamen per accidens fit, cerebri excrementa ſuſcipiant. Sed & temporalium muſculorum tendinibus in maxillæ coronas infixis, propugnaculi vicem gerunt.

DE

DE AVRIBVS.

CAPVT XXII.

Huc facit figura octaui capitis libri primi, quamuis duo solùm exprimantur oßicula, malleus & incus, stapeda enim tum non agnouit Vesalius.

AVRES ὦτες, capitis partes esse quib⁹ audimus, Aristoteles 1. de histor. anim. 11. statuit: hæ in suprema capitis parte locatæ, quo sonum, qui natura in sublimè fertur, rectiùs recipiant: semper autem patent, quia hoc sensu etiam dormientes, vt habet Cicero de natur. deor. egemus. Geminæ factæ, vt vna læsa, altera frui possimus, qua de re cap. 7. lib. de partib. exter. plura.

Partes autem sunt duplices, aliæ externæ, aliæ verò internæ.

Externæ sunt cutis, de qua suo loco: musculi, venæ, arteriæ & cartilago.

Musculi aures mouentes, raro in homine reperiuntur: duos tamen nouimus, qui aures quando volũt, mouere possunt. Quare duo aliquã do re-

do reperiuntur muſculi, quorum alter à buccis enatus, in auris pinnã deſinit, eamque voluntariè verſus anteriora mouet. Alter verò, in poſteriori parte à mãmillari proceſſu prodit: & hi, in brutis cõſpiciuntur.

Cartilaginea auris externa pars, ſuas etiam habet partes: quæ enim aurem ambit, auricula exterior dicitur: ſuprema autẽ pars cartilaginoſa, lata & expanſa, πτερύγωμα, id eſt, Ala dicitur: inferior pars carnoſa, quo nil in humano corpore mollius λόβον fibram & auriculã vocarunt: interior aurium ambitus, ſeu cauitas, ſcapha dicitur. Sed de his in part. externis fuit dictũ fuſiſſimè.

Hæc verò cartilaginea auris pars externa, homini cum ad ornatum, tum ad auditus neceſſarium vſum ad ſonos promptius percipiendos, data: ſemicirculari penè forma prædita, & interna regione antri in modum caua. Suis anfractibus ita diſpoſita, vt irruẽtis aëris ſonũ promptè hauriat & excipiat, vt ex ipſa circulari refractione, harmonia ad

tympa-

tympanū citra tristem sensum pertingat: partim etiam ne aër frigidior subitò irruens, cerebrū lædat. Quibus enim hæc pars abscissa est, confusa ratione & murmure sonos articulatásue voces, fluitantis aquæ in modum exaudiunt.

Foramen auris, quod in osse petroso est (*A A*) & ad tympanum pertinet, πόρ𝛔 ἀκουστικὸς, meatus auditorius & foramen cæcum, propter flexuosum ipsius iter, dicitur: quod ita fabricatum, ne facilè quid noxij intrare possit.

Sordes, seu humor crassus biliosus & viscidus, iuxta meatum obseruatur: & licet per ea cerebrū expurgetur, eius tamen vsus, quo animalcula minora, vt muscæ, si ingredi conentur, tanquā visco capiātur.

Venæ, à iugularibus: Arterię à carotidibus, de quibus lib. 2. cap. 13. ad aures mittuntur.

Internæ partes sunt, ossa, membrana, neruus, de quo inter neruos: Musculus. Posteaquam enim sonus per anfractuosam exterioris auris

partem

partẽ recept⁹ eſt, ſenſim ad ipſũ os petroſum, in quo cęcũ foramẽ, indeq́; ad ipſã mẽbranã auris defert̃.

Oſſi enim petroſo, magna & varia inſculpitur cauitas, auditus organo parata (*vt præcipua effig. lib.* 1. *cap.* 8. *& penult. fig. contextui cap.* 12. *inſerta*) hæc quatuor à ſe ꝑducit foramina, quorũ primum (3. *fig. cap.* 12. *a.*) vtrumq; amplum. Sed anfractuoſum, alterius lateris quinti paris neruorum cerebri neruum (1. 2. *fig. cap.* 2. *lib.* 4. *a.*) admittens. Secundum foramen (2. *fig. cap.* 12. *a.*) dicto eſt breuius, ſed multo amplius, ad aurem pertinet. Tertium foramen (2. *fig. cap.* 12. *b.*) anguſtum eſt, variæq́; implexum & cæcum appellatum, nerui quinti paris (1. 2. *fig. cap.* 2. *lib.* 4. *c.*) ramum tranſmittit. Quartum (2. *fig. cap.* 12. *V.*) nunc dicto nõnnihil amplius, non autẽ perinde tortuoſum, quod præter alium nerui quinti paris (1. 2. *fig. cap.* 2. *lib.* 4. *b.*) rarum cui iter præbet, venã (*fig. cap.* 14. *lib.* 3. *n.*) trãſmittet, auditus organũ petentẽ.

Membrana auris (*B*) quæ Tympa-

num dicitur, mēbrana eſt tenuiſſima & ſicciſſima (vt ſonus facilè ad ſenſoriū pertingat) pellucida, neruoſa, exacti ſenſus, forma orbiculari, quæ ex quinta neruorum coniugatione, quæ auditorius dicitur, cui facultas audiendi cōceditur, efformata dicitur. Hæc ab auris primo aditu, in anteriorem ſuperioremque regionem inclinans, obliquè ſita eſt, vt ſonos promptius excipiat, nec facilè lædatur: eminētiori quin etiam cuidam oſſis temporum circumferentiæ, firmiter annectitur. Hæc etiam aërem innatum tuetur, & externi aëris impetuoſiorem acceſſum cauet: per aërem enim fit auditus, qui duplex eſt, alter externus: alter verò internus, qui à primo ortu auribus inditus, idcirco congenitus dictus, qui ſonos percipit, eoſdemque neruorum beneficio dignoſcit: hic tenuis eſt, purus, & tranquillus, quo ex æquo omnes ſoni ab eo agnoſcantur.

Verùm vbi ſonus ab aëre vſque ad tympanū delatus eſt, eum ferit:

ne autem hæc membrana ratione tenuitatis, à violento aëris impulsu, agitata, diuellatur & auditus tollatur, natura internæ regioni processum ossiculi Malleoli dicti, ad membranæ robur connectit.

Ossicula enim tria, ad organum auditus facientia, intra membranã sunt constituta, quæ articulis quibusdam ad inuicem connectuntur, & quia forma Malleum (*L.M.*) Incudem (*N.O.*) & Stapeda referunt, hæc nomina obtinuêre.

Malleolus enim primũ, suo processu tympano appendet, qui processus velut quædam cauda reflexa deorsum atque intrò progrediens, vltra mediam tympani latitudinem protenditur: & præter dictam cum tympano connexionem, tenuissimo ligamentali funiculo (quod an neruus sit, an arteria, dubitatur) munitur, vt menyngi firmius cohęreat.

Sed & eiusdem malleoli capitulum, supra tympani circumferentiã eminet & minima apophysi à ceruicis basi extuberante, præditũ est,

quo ipſi tendinulum ipſius muſculi auris, implantari poſſit.

Incudem ſeu molarem dentē repræſentans oſſiculum, huic ſubiectum, duobus apophyſibus inferiori ſua parte præditum, quarum breuior acuminata, ſquammoſo oſſi innititur: alteram lōgiuſculam, ſtapidis vertex ſuſtinet.

Stapedem vel triangulum referens oſſiculum, huic annexum eſt.

Hæc omnia ſimùl ad tympani motū, vbi ad eum ſonus fuerit delatus, concuti quidam credunt, vt hac ratione dein auditus efficiatur: alij verò voluerunt, ſi ab aëre externo Malleus & Incus moueretur, hęc ipſum tympanum tangere, mouere, ſicque voces & ſonos diſtinguere, & differentias conſtituere, huiusq; cauſa oſſicula hęc tria pone membranā, in oſſe prædicto qui intus cauernam inſtar Labyrinthi habet, adpoſitas eſſe.

Verum vnum tantùm os, nimirū Malleus, vt eleganter Arantius, mouetur: reliqui verò duo immobilia,

& in huius gratiam condita videntur. Malleus enim duplici motu, quaſi fluxu & refluxu impellitur. Primò quidem, ad motum tympani cui connexum eſt: agitato enim ab externo aëre tympano, eoque ſurſum intrò pulſo, gibbum redditur ipſum tympanum tantiſper, quo cõgenitus aër à vocibus afficiatur, qui per cochleę ambitus oberrans, efficit vt à quinti paris neruorum propaginibus ſoni ſpecies ſuſcipiantur, & cerebro ſubminiſtrentur.

Malleus verò, licet intrò pellatur, ei tamen eſt propugnaculo, ne vltra terminum moueri queat: huius autẽ terminus eſt, vt caput mallei cum cauitate Incudis ad contactum & quandam articulationem perueniat.

Quemadmodum autem Incus, Malleo motum definiens, ei famulatur, ita & Stapes, ſtabili pede prope cochleam inſiſtens, longiuſculã Incudes apophyſin ſuo vertice tantiſper ſinuato, arcus in modum eleganter ſuſtinet: nec interim prohi-

bet, quin per inane eius spacium, conatus aër agitetur, & per loca vacua sese insinuet.

Stapeda etiam, sua basi latiuscula, sinui ouali forma prædito, petroso ossi prope cochleam insculpto, firmiter insidet, ac in summo superioris anguli apice, in capitulũ modicè sinuatum desinit, vt incudis minimum tuberculum, tibiolæ adnascentem, per symphisin & synchondrosin agglutinatum, amicè excipiat.

Alter motus, qui fit in recursu extrorsum, fit ratione Musculi, qui partim ad membranam alligatur, partim ad capitelli Malleoli apophysin: hic Musculus, ad suam originem cõtractus, malleum ita mouet, vt illi connexum tympanum, ad naturalem positionem extrorsum reducat, quo denuò aër influens in illum agere, insitumque aërem afficere possit: dein etiam vt ossiculi mallei capitulum, ab Incudis contactu, vel articulatione, segregetur: non enim ossicula hæc, in ijs qui vitali

tali ſpiritu vigent,ſicut in cadauere, cohærent. Alter muſculi vſus videtur,vt ad audiēdum, arbitrium noſtrum,attentioque excitetur.

Tandem, etſi tota hac ſtructura auris, ſumma admiratione digna ſit, Deique prouidentiam in humani generis partibus condendis declaret, tamen & hoc admiratione dignum, quod prædicta tria organi auditus oſſicula,vnà cum tympano,quamuis molliore ſubſtantia ſint prædita, non tamen in recens natis quàm adultis eſſe minora. Cùm verò ad exactiorem auditum, inſtrumenti ſiccitas præcipuè requiratur, infantes ob humiditatis copiam, obtuſius multò audiunt.

Et hæ particulæ etſi exiguæ ſint,in equo tamen aut boue, minores ac minus conſpicuæ ſunt. Hæc de inſtrumentis auditus & audiendi modo, dicta ſufficiant.

DE ORE.

CAPVT XXIII.

OS στόμα, dicitur rima illa, quæ ſtatim ſub naribus in medio buccarum, inter maxillam ſuperiorem & inferiorem, ex Labijs conſtituitur.

Huius partes ſunt duplices, aliæ quæ os extrinſecus ambiunt: aliæ verò, quæ in ore continentur. Extrinſecus enim Muſculis buccarũ, labiorum & maxillæ inferioris cinguntur & ſimùl cum oſſibus, vtraque nimirum Maxilla, conſtituitur.

DE BVCCARVM ET Labiorum muſculis communibus.

CAPVT XXIV.

QVATVOR ſunt Muſculi buccis & labijs cõmunes, vtrinq; nimirũ duo: quorum primus Quadratus (*3.tab.*Γ. *circumſcriptus HIONLKM*) in collo ſitus, cui⁹ ſubſtãtia carnea eſt mẽbrana, carnoſis fibris adaucta: hic amplus eſt & penè quadrat⁹, circa clauiçulas (*KL*) & poſteriorẽ colli partẽ originẽ ducens

gens fibris suis obliqs sursum ad faciei mediũ, in mentũ (*M*) labia, & nasi (*N*) radicem missis: aliquando etiã, secundum occipitij basim ad auriũ radicem (*O*) feruntur, quarum beneficio in quibusdam Aures mouẽtur. Hic musculus, primo in Spasmo cynico, intẽditur. Hoc primum est par musculorum Buccarum & Labiorũ Vesalio: musculus latus in collo positus, Syluio & Columbo: Fallopio verò, primum par musculorũ faciei.

II. Rotundus vtrinq; vnus, (*2. tab. D. 4. tab. M*) Buccas efformans illi subiacet, qui membraneus & varijs fibris intertextus, inter binas maxillas cõstituitur: à superiori enim maxilla in inferiorẽ ad gingiuarum radicem inseritur. Hunc superficie interna oris succingens tunica oblinit, eique connascitur. Hi variorum motuum, quos immota inferiori maxilla, inferiori labio deorsum tracto perficimus, authores sunt. Hoc secundum par musculorum buccarũ, Vesalio: Fallopio verò, secundũ par musculorum faciei: quintũ par

Syluio: buccarũ musculi, Columbo: inflator & buccinator, dici potest.

DE LABIIS ET eorum musculis proprijs.

CAPVT XXV.

LABIA duo sunt, superius & inferius, cuius partes rubẽtes προστόμια dicuntur, qua de re in partiũ externarũ tractatu cap. 6. Labiorum autẽ vsus, vt dum os claudunt, dentes, ne ab aëre frigidiore lædantur, obtegant: partim verò ad loquelam, & commodiorem cibi potusq; assumptionem, ad sputum reijciendum, & deniq; ad ornatum. Mouentur autem ope Musculorum partim communium, de quibus antè: partim propriorum, de quibus nunc.

Labiorum musculi proprij, plerisque quatuor sunt: superiori dico, inferiori totidem peculiares, quibus adhuc duos cũ Fallopio addimus.

Superiori peculiares vtrinq; vnus (4. *tab. G.H*) à maxillæ superioris osse, vbi

vbi malæ consistunt, principio carnoso enascitur, & deorsum obliquè in priora fertur, quousq; in sui labij latus se inserat. Hoc tertium par musculorum faciei est, Fallopio.

Succedũt his duo alij, multa pinguedine obuoluti, carnosi, graciles, teretes, à cauitate quæ malis subiacet orti, & in labrum superius inserti. Hoc septimum par est musculorũ faciei, Fallopio.

Inferioris vtrinq; etiã vnus (4. *tab. N.*) superiori, latior & breuior, ab inferioris maxillæ humiliori parte ad menti quasi latera carneus exortus, obliquè sursum protẽsus, latusque permanẽs, in medium labij implantatur, labiorum cuti vti & prædicti immixtus, quorum fibrę decussatim se intersecant. Hoc quartum par est musculorum faciei Fallopio. Horum musculorum beneficio, diuersi labiorum fiũt motus, quatuor obliqui, in vtroq; labio duo: & octo recti, in vtroq; labio quatuor.

His addamus illam carneam ac indigestam molem, quę vtrumq; labiũ

efformat,

efformat, quam pro nono pari musculorum faciei, Fallopius recenset.

Variæ Neruorum propagines per Faciem disseminantur, vti inter Neruos dictum fuit: vnde adeò exquisitus ipsius sensus, Venæ etiam variæ inter cutim & panniculū carnosum disperguntur, vnde malæ, maximæ verò labiorum extremæ partes, rubere videntur. Membrana quin etiā, ipsa contegit, quæ ab ipso ventriculo, per gulam & os porrecta, ipsis communicatur: Hinc patet, cur vomentibus inferius labrum tremat.

DE MVSCVLIS MAxillæ inferioris.

CAPVT XXVI.

MAXILLA inferior, quiescente superiore, motu voluntario cū agatur, musculos quatuor vtrinq; habuit: quibus ex Galeno quintum par addimus.

I. Temporalis (*Tab.* 2. 6. 9. *A*. 3. & 5. *B*. 4. Γ) κροταφίτης Galeno, omniū maximus, totam cauitatem ossium temporum implet: cuius initium latum,

tum, eſt & ſemicirculare, ac ſenſim carnoſior redditus, arctatusq́;, ſub oſſe iugali delatus, maxillæ proceſſibus nerueo tendine inſeritur. Huius ope, Maxilla validiſsimè attollitur. Fallopio, ſecundus maxillæ muſculus eſt. Neruos varios obtinet, vnde ipſo læſo conuulſio, ſuccedit: ne ergô facilè læderetur, natura os iugale præpoſuit.

II. Maſſeter Galeno, Manſorius (*Tab.2.9.C.5.D*) ab vſu quem in mãdendo præſtat: hic ab oſſe iugali & à primo maxillæ ſuperioris oſſe, vnde Biceps dici poteſt, nerveus exortus in maxillæ partẽ inferiorẽ penè triangularis inſeritur, ipſam nobis mãducantibus ad latera circumagens, Fallopio, primus: Columbo, tertius eſt. Veſalio, ſecundus.

III. Muſculus in ore latitans Galeno dictus: Syluio, paruus (*Tab.6.D*) qui craſſius & breuis ab oſſis cuneiformis proceſſib. pterygoideis neruoſus exortus, deſcendens maxillæ internæ parti latiſſimæ inſeritur, in cuius ſinu maximè latitat, cuius

cauſa

causa Maxillæ fit luxatio. Columbo secūdus: Vesalio & Fallopio, tertius est. Horum trium munus est, maxillam nobis mandentibus simùl sursum ducere & cōtrahere: vnde quidam tres Masseteres, Hippocrates verò, duos constituit.

IV. Digastricus (*Tab.* 4. *O.* 5. *HL:* 6. *I*) gracilis, oblongus, initio & fine carnosus, in medio verò roboris gratia neruosus, à styloide processu Vesalio & Columbo (aliquando à mammillari processu obseruatur) exortus, in mentum interius post maxillæ flexuram, inseritur. Hic si cum opposito in se colligatur, maxillam deorsum trahit, osq; aperit: sed & quodam cōsequio, linguam in fauces retrahit: addunt si alteruter solus agat, obliquè & ad suum latus maxillam deducere, quod tum à quinto pari potissimùm fit. Hic etiam media sui parte qua tendinosus est, Hyoidis ossi adhæret.

V. par, est id quod Galen. libro de dissec. muscul. primo loco, inter buccarum musculos recenset: musculosa

ſculoſa eſt latitudo, quæ non minus in homine quàm ſimia, maxillæ inferioris oſſi inſigniter infigitur, dextro & ſiniſtro ad mentum medium conuenientibus. Vt autem hæc carnoſa membrana, carneis fibris aucta, quæ muſculi fungitur officio, probè cōſpiciatur, eſt à cute connexa liberanda. Hoc par vnà cum quarto, maxillam ore patefacto, deorſum trahit, ſed à quarto magis ſecundum rectitudinem & ſine buccarum motu: à quinto verò, ſi alter tantùm agat obliquè, ſimùl cum buccis, inferiori labio ad latus diſtorquetur. Si verò cæteri ſimùl agant, in neutram partem, ſed ad laryngem maxillam ducunt.

Hoc loco etiam Ligamētum maxillam temporum oſſi vtrinque alligans obſeruandum, quod ligamentis, alios articulos membranæ inſtar ambientibus, reſpondet.

DE

DE PARTIBVS IN ore contentis.

CAPVT XXVII.

ORIS amplitudinem, remotis musculis duo constituũt ossa: Maxilla nimirũ superior & inferior. Maxilla quidẽ superior, ex ossibus duodecim: inferior verò, in adultis ex vno, in iunioribus ex duobus in mento coniunctis, constat. In horum circuitu alueoli conspiciuntur, in quibus Dentes infixi hærent, de quibus inter ossa fusiss. agetur.

In oris verò amplitudine partes quæ continentur, sunt Dentes cum Gingiuis, Palatũ, Vuula, Lingua cũ suis Musculis, os hyoides cum suis musculis: Fauces, in quibus Larynx & Oesophagi principium: de quo in colli historia.

DE DENTIBVS.

CAPVT XXVIII.

Huc facit libri 1. capitis vndecimi figura, quæ dentes tàm inferioris quàm superioris maxillæ, in vno tantùm latere, exprimit.

DENTES

DENTES, in vtraq; maxilla vniuersi sunt triginta duo: vtraq; enim vtplurimũ sedecim continet, priores quaterni, quod cibum incidant, τομεῖς incisorij (1. 2.) dein vtrinq; vnus, à forma (3) κυνόδοντες canini: tum γομφιοὶ (4. 5. 6. 7. 8) maxillares seu μυλῖται molares, vtrinq; quinque. In aliquibus, sunt solùm viginti octo: quatuor enim vltimi desunt: alij triginta habent, sedecim in superiori: quatuordecim verò in inferiori maxilla. His addere licet adhuc duos, quos σωφρονιστῆρες, id est, dentes sapientiæ ab Aristotele κραντῆρες, à Polluce ὀψίγονοι dicuntur, qui aliquibus etiam in summa senecta nascuntur, vt habet Aristot. 5. de gen. an. c. ult. & 3. de part. an. Hi verò infiguntur alueolis, quæ βοθρία dicuntur, radicibus aut singulis, vt incisorij & canini: aut binis, aliquando ternis, vt maxillares in inferiori maxilla: aut ternis, aliquãdo quaternis, vt maxillares in superiori maxilla. Ad horum radices, à tertio pari nerui mittuntur, qui ijs sensum tribuant.

Vſus ad incidendos cibos, ad iuſtam formationem, & pronũciationem vocis, & ad pulchritudinem.

DE GINGIVIS.
CAPVT XXIX.

DENTIBVS, caro dura atq; immobilis tanquam vallum adnaſcitur, quæ Gingiua οὖλον Ariſtoteli dicitur, cui dentes tanquam pali vallo infixi ſunt, ad quas & nerui mittuntur.

Vſus eſt dentes in alueolis cõfirmare, maxillarum oſſa veſtire, & in edentulis, cibaria conterere.

DE PALATO.
CAPVT XXX.

SVPERIOR oris pars ὑπερῷον, id eſt, Palatum, quod dẽtibus tanquam palis vallatũ ſit, οὐρανὸς Ariſtoteli, οὐρανίσκος Galeno dicitur, quod ſutura tãquam perpendiculũ dirimit, & tunica craſſa, aliquantum carnoſa à dura matre pronata, quæ buccas etiam ſuccingit, dentes ambit: gingiuasq́; producit, inueſtitur: hæc in aliquibus partibus rugoſa & aſpera quo cibi rectiùs mandentur.

Con-

Concauum eſt; ut aëre reuerberato vox reddatur; & tanquam in ſinu aër attractus tepeſiat, ne frigidus membra ſpiritalia offendat. Neruulos duos à quarto pari recipit, ad partẽ poſteriorẽ iuxta eius foramina miſſos. Foramina enim duo iuxta eius finẽ obſeruantur, quæ facta, partim quo rectius dum dormimus, vel comedimus, inſpirare & expirare poſſimus, ne ſemper os apertũ habere oporteat: partim etiã, vt vijs narium obſtructis, exeremẽta in cerebri ventriculis collecta, per os reijci poſſint.

DE VVVLA.
CAPVT XXXI.

VVVLA γαργαρεὼν, id eſt, gurgulio ſubſtantia carnoſa, molli ſpongioſa, quibuſdam ex tunica: palatum ſuccingente reduplicata, à palato iuxta narium meatus in os propendens: forma pendula, rotũda, oblõga, pini cono ſimilis: ſuperius latior, inferius acutior: hominibus & auib. cãtantib. ſolũmodo donata. Quę cũ humore eo deſtillante lõgius ꝓtrahitur, κίων Columella: cũ

verò superna sede tenuior, & inferna crassior est, σταφυλὴ vua dicitur.

Hæc venulas quasdam, à venis, palati tunicam nutrientibus, recipit.

Vsus est, vt vocis sit plectrũ, dum ibi aëris fit repercussio: in quibus enim vel ob luem Veneream corrosa, vel præsecta est, rauci fiunt: dein, vt aëris inspirati frigiditatem temperet, ne is ad pulmones delatus, noxius sit, hinc quibus Vuula præsecta est, Phthisici fiunt.

DE OSSE HYOIDIS & eius musculis.

CAPVT XXXII.

Huc Fig. Cap. 13. lib. 1.

CVM Musculi Linguæ, ante Hyoidis musculis rectè demõstrari nequeant, de ijs ergô primo loco agendum.

Os ὑοειδὲς, quod Græcis etiã à forma υ ὑψιλοειδὲς dicitur, linguæ peculiare est, eiusq; basi fundamenti vice subijcitur, ac laryngis parti eminentissimæ prẹponitur, super quod tanquam basim linguam ipsam moueri oportet: mobile aũt esse debebat, vt trans-

transſglutitioni preſertim vtile foret, ideò natura muſculos illi tribuit.

Ex quinq; oſſibus conſtat, cuius medium oſſiculum maximũ & latiſſimum, foris gibbum, intùs verò cauum. Binos vtrinq; habet proceſſus ſeu cornua, quæ modò ex paucioribus, modò ex pluribus oſſiculis cõſtant. Aliquando duobus tantũ proceſſibus donatur, & tum illorum locum ligamenta ſubeunt, quæ ad ſtyloidem proceſſum abeunt.

Oſſi hoc mouendo, alij quatuor, alij ſex muſculorum adſcribunt paria: qui octo tantùm hyoidi tribuunt reliquos duos linguæ adnumerant. Horum autem muſculorũ vſum volunt vt os hyoides moueant: verùm cũ hoc os linguæ ſit baſis, & rei cuiusq; baſis nulla ratione loco moueri poſſit, quin ſimùl moueatur & illud, quod baſi ſtabilitur: quare videtur hos hyoidis muſculos, linguam ipſam pro arbitrio mouere: & quidem eò magis, quod linguæ adeò frequentes motus vix à tam paucis atque exiguis in linguæ ſubſtan-

tiam desinentibus musculis, persici posse videatur. Quare hos communes Linguæ & hyoidi musculos appellare liceat, quos enarrabimus.

I. par, Styloceratoidei (4.*tab.Q.*) à Styloide, capitis processu oritur, & in cornua, vel laterales partes hyoidis desinit: mouet ad latera: hoc primũ in par Syluio: tertiũ par Vesalio, Columbo & Fallopio, cui os sursum & magis introrsum trahit.

II. par, Coracohyoidei (4. *tab. VV.* 5. *tab.R.S.*) à superiore parte scapulæ, coracoide nimirum processu, obliquè in principium processuum hyoidis, vbi & primum par, implantatur: quod non secus quàm quartus inferioris maxillæ musculus, in medio gracilis & nerueus: eiusdem cum priori vsus. Secundum par Syluio: quartum par Vesalio, Columbo & Fallopio.

III. par, Sternohyoidei (4.*tab. S. T.*) à suprema sterni parte enati, asperæq; arteriæ innitentes in basim hyoidis inseritur. Hoc vnà cum præcedẽti, deglutitioni præcipuè inseruit: quartum

2
ti
p
n
p

à
ir
d
n
C
&

V
p
c
h
t
t
r
c
u
&

T
n
c

dēti, deglutitioni præcipue inseruit:

quartum




Fold Out
BACK PAGE





Fold Out
FRONT PAGE



quartum par, Syluio: primũ par Vesalio, Columbo, & Fallopio, cui os deorſum trahit.

IV. par Genio hyoidei (4.*tab.R.*) vario fibrarũ ductu præditũ, à mẽto interno exoriẽs, ad baſim hyoidis, in quam & ſuperior infigitur, vt partim obliquè, partim rectà linguã producat. Tertium par, Syluio: ſecundum par, Veſalio, Columbo & Fallopio, cui os furſum trahit.

V. par, his aliqui addũt, quod alij pro nono linguæ muſculo recenſent, in brutis corpus vnum referẽs, in homine verò facilè diuiſibile, qđ ab interiore mento prodiens, in poſteriora delatũ, adq; baſim linguæ ꝓductũ, in ipſum hyoidẽ validè inſeratur. Cuius munus vt cum ſubiecto muſculo & concurrentibus linguæ proprijs muſculis, linguæ baſi ad mẽtum contracta, efficiãt vt lingua vinculi beneficio acuminata, lõgè producatur. Fernelius hunc vnum contrariorum motuũ opificem eſſe voluit, qui linguã & produceret & reuocaret.

His Fallopius, qui ſex dicit hyoidis paria, aliud pro ſexto pari recenſet, de quo Veſalius verba non fecerit, quod fortè prædictum quintum par erit..

DE LINGVA EIVSque muſculis.

CAPVT XXXIII.

LINGVA à lingendo, γλῶσσα Græcis, vocis & guſtus inſtrumentum eſt: cuius ſubſtantia mollis, rara & laxa inſtar ſpongiæ, quo de ſaporibus faciliùs iudicium ferat, qui tamen ſenſus in prima lingua, vt Plinius ſecutus Ariſtotelem ait, ſubtilior eſt. Nullæ tamen fibræ, per ipſius longitudinem continua ſerie diſcurrentes, vt in muſculis fit, conſpiciuntur. Fibræ quinetiam ligamentales nullæ ad robur, vt in muſculis, præter mediũ illud linguã penè diuidentis: nulli etiam à cerebro nerui, vt motiuam facultatem tribuant, per interiorem ſubſtantiã diſcurrunt.

Figura oblonga, in radice verò roboris gratia latior & craſsior quæ

ὑπο-

ὑπογλωσσὶς: in fine verò, quæ pars προγλωσσὶς tenuior & acutior, quo velociter moueri poſſit. Huius magnitudo dicitur tanta, quanta oris amplitudini congruat: verùm non ſolùm magnitudine, ſed & ſubſtantia vnà cum muſculis ſæpè peccat: hinc ſi plus iuſto maior, & ſi nimia ſubſtantiæ mollities adijciatur, videmus balbos fieri: ſic & infantes, ob humiditatem ſerius articulatas voces proferunt. Breuior etiam lingua interdum peccat, quod eius funiculum non ſatis reſectum, eam nimis connectat.

Ligamentum enim, quod & frænum linguæ vocant, medio ipſius corpori ſubiectum eſt, quod præter id quod ſua ſoliditate & robore ei attollendæ & exerendæ prodeſt, propriorum muſculorum etiam inſertioni excipiendæ præcipuè factũ eſt, aliâs facilè aut laxati, aut diuulſi fuiſſent. Sed & huius ligamenti extremæ parti, verſus mucronem funiculus adnaſcitur, quem Arantius linguæ frænulum vocat. Hominis

enim lingua(quod nulli animātium accidere arbitror) ad extremū vſq; vinculo connexa reperitur,quod in infantib. obſtetrices, vngue aliqua ex parte diuellunt, aliquando verò inciditur. Quare cùm ligamenti, tum frænuli beneficio ſimùl agentibus, & muſculis ad ſuam originē contractis anguſta atq; acuminata lingua efficitur, eadem attollitur & variè agitatur.

Tunica oris cōmuni inueſtitur, in quā tertiū & quartū neruorū cerebri par ad guſtū, ſeptimū verò ad motum eiuſdē muſculis implantatur: ac mediante linea candida, in dextrā & ſiniſtrā (quare Galenus duplex membrum eſſe pronunciauit: omnia enim gemina videtur natura fabricata, quę ſi nō penitus diuiſa,ac ſaltem linea media percurrente diſtinxit)non tamē vt ſerpentum, diſtinguitur.

Venę etiam binę,à colore magis quā figura ranarū, Raninę dictę,à iugulari externa ſub lingua feruntur, quæ in affectibus oris, faucium ardore

dore & angina, inciduntur. Arterias etiam duas, à carotidibus habet.

Et licet ipſa linguę caro muſculo ſit ſimilis (vnde aliq ex duplici muſculoſa ſubſtãtia, infernè medio ligamento diſtincta: alij, triplici fibrarũ genere prędìtam eſſe, & ob id per ſe tanquã muſculũ, moueri cõtendũt: alij verò, quaſi anguillæ ſpinã intus habentes in modũ, miris modis ꝑduci & recuruari ſunt arbitrati) tamen cũ varios ac ſimùl cõfuſos celeresque motus edat, natura id muſculorum beneficio præſtari voluit.

Sunt aũt duplices, alij cõmunes, alij proprij: cõmunes, ſunt ſub oſſe hyoidi enarrati, quare nunc de proprijs, qui aliũde exorti, in ipſam linguæ ſubſtantiam deſinunt, de quorum numero non conuenit.

I. par, Styloglosſi (1. *& 2. fig. ca. 19. F*) à ſtyloide proceſſu graciles orti, in linguam tranſuerſis fibris ad vtrunq; latus implantantur, linguãq; introrſum ducunt. Veſalio & Colũbo, quintus & ſextus muſculus, ſeu tertium par, vt & Fallopio.

II. par,

II. par Myloglossi (1. & 2. *fig. G.*) à maxillæ inferioris lateribus iuxta molarium dentium radices, lato principio, fibris transuersis exoritur, in eiusq; basim per longitudinē in ligamentum, inseritur. Hoc alijs linguam ad inferiora cōtrahit: verū, horum altero agēte, lingua sursum obliquè subuersa ducitur: vtrisque verò agentibus, recto mucrone ad palatum, superioresq; dentes attollitur: si verò cooperentur ij, qui à mento in hyoidem inseruntur, in acutum ligamenti auxilio abiens, solidior atq; angustior effecta, extrà labia longè producitur. Hoc Vesalio quartum est par: Columbo verò, quintum par: quod reperiri Fallopius negat.

III. par, Genioglossi, à mento exorti ad liguam feruntur. Columbo est secundū par, vt & Fallopio, quibus linguam extra os trahit.

IV. par, Basiglossi (1. & 2. *fig. D D*) ab ossis hyoidis basi prodiens, in linguæ latera inseritur. Vesalio & Columbo, primúm par, quod ipsis

linguam

linguam intrò trahit. Fallopius hoc hyoidis proprium dicit, & quintum facit hyoidis par.

V. par, Ceratoglossi (1. & 2. *fig.* E) à cornubus superioribus ossis hyoidis prodiens, in linguæ radicem ad latera inseritur. Hoc in bob⁹ geminum: & in hominibus quamuis pro duplici status possit pari, tamen pro vno recenset Fallopius, qui cum Vesalio secundum par facit; Columbo verò, quartum est par.

Quem verò Vesalius nonum, Columbus verò vndecimum facit (1. & 2. *fig.* H) caro est ex glandulis & pinguedine in linguæ radice cõmixta, quæ vix musculi nomen meretur.

His Fallopius, licet quatuor tantùm paria musculorũ linguæ dicat, quartum tamen par addit, quod à stiloide processu oriatur, ac in extrema linguæ radice ad latera inseratur: quod in bobus quoq; appareat, & Vesalio sit incognitum.

Horum musculorũ munus, linguam sursum, deorsum, antrorsum, retror-

retrorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum mouere.

DE FAVCIBVS.

CAPVT XXXIV.

FAVCES, φάρυγξ, oris posteriorem & interiorẽ partem, ſeu cauitatem ante gulam & aſperam arteriam, ſignificant: ipſa autem regio, ab anguſtia ἰσθμὸς dicitur. Hoc loci complura ſunt organa, vt narium foramina in os deſcendentia, linguæ radix cum tonſillis, os hyoides, œſophagus, de quo in colli hiſtoria: Larynx cum epiglottide, de quo nunc.

DE TONSILLIS.

CAPVT XXXV.

NE lingua exſiccata ad motus tardior efficiatur, vtrinquẽ glandula vna ſpongioſa, circa linguæ radicem poſt vuulam ante gulæ principium, ſtomacho & laryngi communis (14. *fig. E E*) adpoſita, natura prouidit: has παρίσθμια, quòd in anguſto verſentur loco, Ariſtoteles, Latini tonſillas, vulgò amyg-

amygdalas, dixerunt: ſed etiã factæ vt cerebri humiditatem ſuſcipientes & in ſaliuam conuertentes, omnia quæ in oris ſunt circuitu, fauces puta, ſtomachum & laryngem humectent.

Teguntur aũt cõmuni oris ſuccingente tunica, & venulas quaſdam à iugularibus recipiunt.

DE LARYNGE, EPIglottide, & eius muſculis.

CAPVT XXXVI.

Huc faciunt libri primi, capitis trigeſimioctaui figuræ omnes.

LARYNX, aſperæ arteriæ caput eſt, cui vtrinque glandula humectationis gratia adpoſita: ex tribus cartilaginibus: Fallopio, ex quatuor: Columbo verò, ex quinq; oſſibus, conſtituitur.

Prima, θυρεοειδὴς ſcutiformis (*fig.* 3. 4. 5.) ſcutalis barbaris, hæc totam anteriorem tegit partem, reliquis præponitur, eſtque intus caua, foris gibba, partem protuberantem, quę malum granatum, & pomũ Adami

barba-

barbaris dicitur cõſtituit. Hæc quatuor proceſſus habet (3.4.5.*fig.AB CD*) quibus muſculi eius adhęrent. Et quia in medio linea conſpicitur (*GH*) idcirco, duo priora laryngis oſſa, vocauit Columbus: Fallopius, primam cartilaginem dixit.

Hoc loco rima notanda in homine, quæ fiſtularum ſciſſuris vocũ harmoniam efformãtibus, reſpondet: ab anteriore nimirum & media huius Cartilaginis parte, membrana, qua ipſa interius obducitur, in medio ex oppoſito lingulæ duplex ac ſolidior efficitur, & per diametrũ ad poſteriorem laryngis regionem perueniens, interiori annularis cartilaginis ſedi, non longè ab Arytenoide connectitur, ita vt ſatis tenſa conſeruetur. Inter has duplicatas membranas, oblonga rima, à poſteriori in anteriorem partem ducta, relinquitur: Hæc ſcutiformi, muſculorum beneficio ampliore effecta, ex conſequenti fit latior, voxq́; ob id grauis efformatur: contrà verò acuta, ſi à contrarijs inſtrumentis,

tis, angusta reddatur. Et hæc fortè præcipua modulandæ vocis sedes, cui dein glottidis diuisio subseruit: videtur enim eodem tempore vtraq; rima & dilatari & constringi.

Secunda, κρυκοειδὴς annularis (*figu.* 6.7.8.) quod annuli instar asperæ arteriæ caput ambiat, (innominata plerisque) & ab œsophagi parte posteriore discernat, estq; laryngis firmamentum. Hoc parte, posteriore nonnihil ad duorum musculorum insertionem, eminet. Columbo, tertium os annulare seu circulare, dicitur: Fallopio verò, cartilago secunda.

Tertia, Α'ρυταινοειδὴς guttalis (*fig.* 9. 10. 11.) quod parte superiori in duos processus abeat (Σ) qui iũcti, illi ollarũ parti qua aquã effũdem9, similis sit. Hęc ad imã scutiformis regionẽ parte anteriore copulata, rimam (*fig.* 9. 10. ΥΥ) modulãdæ voci accommodam cõstituit, linguis fistularum, quas ori indimus, quã simillimam, quæ Græcis γλόττις, Latinis lingula & rima nominatur, cui præcipuum articulatæ vocis munus tribuitur: hæc si suis

membranis liberetur (vt quæ membrana aſperæ arteriȩ ſit obducta) gemina videtur: vnde, Columbus, quartum & quintum Laryngis os fecit & Fallopius pro tertia & quarta cartilagine, recenſet.

Inter hãc cartilaginem & priorem, ex vtraque parte ſinus eſt(*fig.* 10. *circa X.V*) ab ipſis membranis quæ cartilagines colligãt efformatus, in quẽ micas panis, vel aliquid potus, dum ridendo vel loquendo, comedimus aut bibimus, illabi exiſtimamus: quarum fortè etiam vſus vt aẽr impetu attractus in laryngem abiẽs ab ipſis alteretur, quemadmodum etiam fit ab auriculis cordis.

Eſt & alia intra fauces cartilago quæ Hippocrati *κληΐτρον, ἐπιγλωττίς* (12. & 13. *fig.*)Lingua laryngis & ligula dicitur. Eſt autẽ laryngis operculum *γλωττίδα* ſeu rimulam tegens, ne quid inter tranſglutiendum cibi aut potus facilè in aſperam arteriam illabatur, & eandem inter loquendũ & ſpirandum reſeret. Subſtantia molli, cartilaginoſa (talem enim eſſe opor-

oportuit, vt sine vlla noxa continuò moueretur) tertiæ cartilaginis parti superiori similis, à scutiformis cartilaginis parte superiore pronata. Hæc parte superiore gibba ac mollis, interiore verò caua ac durior, formam folij hederæ, seu trianguli referens. Alligatur autem ab vtraque parte membranæ oris communi, simul cum partibus lateralibus tertiæ cartilaginis.

Huc faciunt icones capitis 21. lib. 2.

Cùm vocem ex arbitrio edere debuerimus, voluntario motu Larynx etiã moueri debuit: habuit ergò necessariò musculos, per quos cartilagines ipsum cõformantes mobiles fierent. Sunt autẽ ex Vesalij sentẽtia, viginti: Syluij, octodecĩ: Colũbi & Fallopij, quatuordecim: nostra verò sẽtẽtia sedecim: quorũ alij cõmunes, alij ꝓprij.

Communium sex sunt, ex quibus quatuor constringunt, duo verò dilatant: dicti communes, quia aliunde quàm à larynge oriantur, & in ipsam inserantur. Propriorum autem decem sunt, ex quibus sex dilatant, quatuor constringunt.

I. Communium par primũ, Brõchij (1.2.*fig.G.*) à ſterno interno oriũtur & ſecundum aſperam arteriam progrediens in inferiorem thyroidis partem inſeritur, ac thyroidem deorſum trahendo rimam coarctat. Sub hoc, laryngis conſpiciuntur glãdulæ. Hoc Veſalio & Fallopio ſecundum par eſt: Columbo verò, primum.

II. par, Hyoidei (1.2.*fig.F.*) ab inferioribus proceſsibus hyoidis oritur, ac in thyroidis baſim implantatur, quã ſurſum trahendo, rimã dilatat. Hoc Veſalio & Fallopio, primum par eſt: Columbo verò, ſecundum.

III. par, Oeſophagiei, (1.2.3.4.5.*fig.I*) vtrinque à latere thyroidis oritur, & gulã amplexatur: hoc thyroidis latera contrahendo, rimulam conſtringit. Hoc Veſalio & Fallopio tertiũ par eſt, quem vnicum eſſe vult Colũbus, & ab alterutro latere thyroidis oriri dicit, & ꝓ quinto recẽſet.

Propriorũ paria, ſũt quinq; ſic dicti quod à larynge orti, in eandẽ deſinãt, ac cartilagines inuicem connectant:

I. par, Cricotyroidei antici (1.4.*fig.*

fig. vnus N. alter 5. *figur. O*) à crycoidis cartilaginis anteriore parte oritur & ad posticã thyroidis basim abite, Laryngem aperit: verùm non duos, sed quatuor esse cum Galeno, Vesalius & Syluius voluêre, Columbo, primũ par propriorum, vt & Fallopio.

II. par, Crycothyroidei postici (6.7. *fig. P*) à crycoidis parte posteriore oritur, & in partem inferiorem thyroidis inseritur, & Laryngẽ aperit. Vesalio, propriorum tertium par: Columbo & Fallopio, secundum.

III. par, Crycoidei laterales, (7. 8. *figur. R*). à crycoidis lateribus superna parte oritur, & Laryngem aperit. Vesalio, propriorũ 4. par. Fallopio & Columbo, tertium.

IV. par, Thyroidei interni, (7. 8. 9. 10. *fig. vnus a. alter b*) à thyroidis parte anteriore & interiore oritur & in latera arythenoidis inseritur, & Laryngẽ claudit. Vesalio, propriorũ par quintũ: Colũbo & quartũ Fallopio.

V. par, Arythenoidei (6. 7. 8. *fig. V*) à linea postica arythenoidis oritur, & in latera eiusdẽ inseritur, & Laryngẽ

 clau-

claudit. Veſalio, propriorum ſextum par: Columbus verò, vnū tātùm eſſe muſculum ſtatuit, Fallopius verò, po ſtremò recenſet.

Ad hos, potiſsimū ad eos, qui tertiā cartilaginē aperiunt & claudunt, nerui à neruo recurrente mittuntur.

DE MVSCVLIS EPIGLOTTIDIS.

Epiglottidis, duo volunt eſſe muſculorum paria, quæ in homine non reperiuntur. Horum

I. par, Hyoglotti (2.3.4. *fig.K.*) à radice hyoidis oritur & in epiglottidis baſim, eā ſurſum trahendo, inſeritur. Huius Galenus non meminit, Veſalius verò, pro quarto pari cōmunium recenſet, & muſculos laryngis operculi vocat, quod tamen in ruminantibus, non verò homine, reperitur.

II. par, Scutiglotti, quod inter epiglottidis tunicam, eiuſq́ꝫ cartilaginē, in epiglottidis latera, eam claudens inſeratur, quorum tamē opus nō fuit. Epiglottis enim, quod Laryngem, dum cōmedimus & bibimus tegat, non muſculorū beneficio, ſed aſſumptorum pōdere fit: alijs verò temporibus,

ribus, propter continuã respirationẽ, vt tegeretur, non fuit necessum.

Hactenus de partib. in ore contentis.

LIBRI TERTII finis.

AD LECTOREM.

Quod Musculos capitis, ceruicis, thoracis & dorsi in librũ quartũ reiecerimus, miraberis fortè, sed causa est Anatomica methodus nostra: si enim animus sit, prædictos musculos secare, necessum est, vt præcedant musculi brachÿ & scapulæ: & hæc est ratio, cur in librũ de artibus, dictorum musculorum tractationem reposuerimus.

DE ARTVBVS.

LIBER QVARTVS.



RTVS, membra sunt ex corpore explantata: diuiduntur autem in *MANVS* & *PEDES*: verùm de Pedibus, posteriori loco sermo erit: nunc vero, de Manu agendum.

DE MANV.

CAPVT PRIMVM.



SVMMA Manus, quæ ἀκρόχειρ, dicitur id quod est ab humero, vsq; ad digitorum apices. Diuiditur autem in Humerum, Cubitū & Manum extremam, quę rursus in Carpū seu Brachiale, Metacarpum seu post brachiale & Digitos subdiuidit: qua de re, fusiùs in tractatu nostro de Partibus externis, edito.

Verùm, summæ manus partes alias dicimus continentes, alias contētas. Continentes dicimus quatuor illas communes, Cuticulam, Cutim, Pinguedinem & Pāniculum carnosum, de quibus in historia Abdominis, libro primo: ad quas Membranam inuestientem & separantem musculos (nisi partem continentē propriam dicere lubeat) referimus. Contentæ verò sūt, Vasa, Musculi & Ossa: Vasa sunt venę & eius ostiola, arterię & nerui, quę p artus dissemināt, de quib. primo loco. Musculi verò totius summę manus, quinquaginta quatuor sunt, si ad

ſi ad manum ſcapulæ muſculos referamus: quorum alij ſcapulã, alij brachium, alij cubitum, alij radium, alij carpum, alij metacarpum, alij denicꝫ digitos mouent: de quibus omnib. ſingillatim, methodo Anatomica obſeruata, dicturi ſumus. Oſſa verò in qualibet Manu, quadraginta duo: Humeri vnum, cubiti duo, carpi octo, metacarpi quincꝫ, digitorũ quatuordecim, ſeſaminum duodecim. Sed hæc ex Tabella adpoſita.

DE VENIS TOTIVS Manus.

CAPVT II.

Ad huius capitis intellectum, faciunt venæ Cauæ integra delineatio, quæ est libro 3. cap. 5. & eiuſdem libri figura vltima, quæ venarũ & arteriarũ delineationẽ cõtinet.

VENA caua circa iugulum, in duos, non in quatuor (vbi varios de ſe, & ante & poſt diuiſionem, miſit ramos, quemadmodum in Thoracis dictum fuit hiſtoria) abit truncos, Axillares propriè dictos.

Diuiditur dein quilibet Axillaris, in duos inſignes ramos, in ramum ſu-

periorē, qui Humeralis, Medicis cephalica (*tab.vlt.α*) & ramum inferiorem, qui Axillaris (*Z.tab.vlt.*) Medicis basilica, dicitur.

DE VENA CEPHALICA.

Humeralis, quod per humerum in manum feratur: cubiti exterior, quod cubiti exterius latus perreptet: medicis Cephalica, quod incisa capitis malis mederi credatur (*inter a & f tab.* 1) Hęc superficietenus inter carnosam membranam & musculorum tunicā ad musculum deltoidem descendēs, ramulū in cutim (1.*tab. dd. tab.vlt.* 6.) mittit: dein exterius cubitum adit (*tab.vlt.7*) ac tenues venulas, in musculos brachij, & ad cutim (*ee*) exterius: alijs verò ad musculos internos cubiti (*g*) missis, super externam brachij apophysin (*f*) in ramum internū & externū diuiditur. Internus quidē, qui Auicēnæ basilica (*h & vlt.tab.9*) deorsū obliquè ad mediā fluxurę cubiti sedē deductꝰ, cū Axillaris seu basilicæ venę ramo (*Z. & vlt.tab.l.*) venā cōmunē (*α & vlt.tab.m*) cōstituit.

DE VENA MEDIANA.

Vena cōmunis, quæ Medicis Mediana,

diana, Auicennę nigra dicit, supra (α) radij finem egressa, in manũ externã (β. γ. δ. ε.) ramulis quibusdã ad cutim missis, absumitur. A qua ramulus vnus (γ) versus pollicis & indicis regionẽ, exporrigitur: quã alij Saluatellam, cõmuniter in Chirurgis cepalica, alijs ocularia dicitur. Alter verò (ε) inter mediũ & annularem absumiur, ac quibusdam Syele Auicennæ, dicitur.

Alter Humerariæ ramus, qui externus (*i i & vlt. tab.* α) & Auicen. funis brachij dicitur, obliquè per radiũ in externum cubiti longitudinem (venulis pasim in cutim dispersis) abit: ac vbi ad brachialis mediũ, parteinteriore iuxta vlnã peruenit (*l. & vlt. tab.* π) ei Basilicę ramulus (x) cõiũgitur, ac inter paruũ digitũ & annularẽ ramulis absumitur. Hęcq; est Arabum Syele, quæ propriè Saluatella dicitur, cuiusque sectio in affectibus melancholicis, tantopere commendatur.

DE VENA BASILICA.

Alter ramus, inferior nimirum (*m*) qui Axillaris multis dicit, basilica medicis & cubiti interior, qd' per cubiti interiora

interiora abeat & ratione brachij nomẽ variat. Dextri. n. Hepatica, qđ in affectib. hepatis ſecetur: ſiniſtri verò Lienaris, qđ in lienis morbis incidat.

Hęc per brachij interiora lata, ramulis ad cubiti muſculos (*n.o.*) miſsis, ſub muſculi pectoralis tẽdine (*e tab. vlt.*) in tres ramos diuiditur: quorum primus (*p.*) obliquê deorſum ſub brachij oſſe verſus exteriorẽ apophyſin, cum quarto brachij neruo, fert. Alter verò ramus, qui medius eſt & Profundus dicitur (*q.*) vel truncus in alto latitans (*f.f. vlt. tab.*) Arterię axillari & quarto neruorum pari iunctus, per medium brachium ſub Mediana deſcendit, ibiq́ in duos ramos diuiditur, exteriorem nimirum & interiorẽ: quorum Exterior (*g. vlt. tab.*) ad radium miſſus, pollici & indici duos: medio verò digito, vnum ramulum exhibet. Interior autem ramus ad cubiti os miſſus (*i. tab. vlt.*) in duos etiam diuiditur, ac ab his medio ſimiliter vnũ, medico verò & minimo ramulos duos, ac muſculis internæ manus, alios largitur.

Tertius

Tertius ramus qui Subcutaneus (*r*) & Axillaris propriè, Vesalio dicitur: ab axillari seu basilica ortus, per inferiorem brachij longitudinem ad cutim varijs ramulis dispersis, fertur: dein paulo supra internã brachij apophysin, in ramum Anteriorem (*t*.) & Posteriorem (paulò surprà u) diuiditur.

Anterior subcutaneę venæ ramus, vel sub cute excurrentis Axillaris trũci ramus (*l. vlt. tab*.) per medium cubiti flexum d'elatus (*t. & tab. vlt. K*.) cum interiori humerariæ seu cephalicæ (*h*.) ramo, sub cubiti flexu, venã Communem (*α*.) efficit.

Posterior verò subcutaneæ, vel axillaris venæ ramus (*u*.) sub vlna ad brachiale descendens, ramulis ad cutim (*y. z. z*.) disseminatis, ramũ deorsum (*x. x*.) prope brachiale iuxta minimum digitum mittit, & iterum cũ altero humerariæ seu cephalicæ ramo (*l*.) coit.

Patet ergò, non adeò curiosè laborandũ, in electione vnius vel alterius venę eiusdem lateris, cùm idem sit & Hume-

Humerariæ ſeu cephalicæ, & Axillares ſeu baſilicæ, exortus: modo conſtet brachij venam eſſe ſecandam, & etiam ſit manifeſtum, ex quo latere ſanguis ſit educendus.

DE OSTIOLIS venarum.

CAPVT III.

Ostiola hîc notare conuenit, quę ante annos plus 16. à Cl. Aquapendente, Patauino Anatomico fuêre demonſtrata. Hæc Cl. Albertus dicit, nil aliud eſſe quam ἐπάνθισμος ἢ ἐπίκτητον ἀγγείδιον τοῦ αἵματος.i. efflorescentia, ſeu portiuncula quædam tunicę venarum, quę dimidiati orbis in plano, aut lunæ cornutæ figuram reprę ſentent: cordis enim valuulis ſigmoideis dictis, figura, nõ autem vſu, ſunt ſimilima. Situs earũ in venarum cauitate, dimidium eius intercipientes & quaſi angulum efficientes: hæc miro artificio ſuam ſedẽ variãt, vt vbi duo oſtiola in ſuperiore parte facta ſũt, ꝑ interuallũ quoddã, alia duo in inferiori parte hęreant, ita tñ vt in medio ſe vtrinq; nõ cõtangãt, ſed

ſed tramitem relinquãt, quo ſanguis deorſum labi, ac reliquis ſubſequẽtibus valuulis æquè incidere poſsit. Quare ſit9 ferè talis, vt ſequentiũ mẽbranularũ cornua, præcedẽtiũ media siue conuexa reſpiciant & viciſsim.

Numerus earũ incertus eſt, & interualla, quibus diſcluſæ ſunt, admodũ diſparia: coniunctim tamen geminæ occurrunt, niſi paulò ſuprà trãſuerſa ligamenta, quæ tendines manuum, pedum ac digitorum continent, vbi venarũ amplitudo coarctari incipit, ibi pauciora apparere incipiunt, donec penitus euaneſcant.

Obſeruauimus tamẽ in noſtris Anatomijs, aliquando ab vna parte duas, ab altera vnam, quaſi in medio prędictis duab. reſpõdentẽ, & ſic deinceps.

Reperiuntur hęc ſolùm in venis brachiorũ & crurum, ſuprà ſubterq; poſt alarũ & inguinum glandulas, adenes dictas, proximè ſub ramorũ exortibus, qui è laterib. cauæ in has partes, nutritionis cauſa diſſeminãt, locatę & ad mediũ vſq; capacitatis venarũ pertinẽt, nec ramorũ à caua emergẽtium

meatus

meatus occludunt. Sic in orificio venæ iugularis, binæ tantùm aliquãdo reperiuntur. Venæ autem cauæ truncus his destituit, quo sine obstaculo quoquo versũ sãguis distribui posſit.

Vſus: in brachijs & cruribus vt sanguinẽ ad inferiores partes influẽtem sustineant, ne impetu quodam ad inferiores partes prolabatur, & sic partes inferiores alimenti affluentia opprimantur: superiores verò, alimẽto defraudentur. Dein, cùm Venæ non solùm sanguinis in partes ferendi, deriuandiq; gratia sint conditæ, sed etiam ad perfectionem eius conferant, proculdubio dum concoctioni eius incumbunt, ipsa quoq; ostiola, sanguinis cursum & impetum, retardabunt.

Sed notare duo conuenit, primò quod natura ramis in quos caua multifariã in artus diffindit, valuulas subijcere maluit, quàm ostijs eorum præponere: sic.n. regurgitatio humorum exclusa fuisset, quę quã sit necessaria, reuulsio medica declarat. Dein, venarum corpus nusquam textu rariore

consta-

constare, atque vbi membranulæ, vel ostiola illa, velut abscedũt: huic (qđ ad inuentionem facit) si calamum inseras, leuiterq; inspires, statim forâs instar vtriculi, ostiola protuberant.

DE ARTERIA MANVS.

CAPVT IV.

Huc referri debet, Arteriæ magnæ delineatio, quæ habetur libro tertio, capite duodecimo.

ARTERIA magna, postquã extra Thoracem, ab vtraque Axillari aliquot de se misit ramos (vt in Thoracis dictum fuit historia) reliquum (*ab N*) in Manum mittit.

Hæc enim Profundę venæ, seu Axillaris rãmo immerso, interioriue cõ iuncta, inter musculum bicipitem & brachium descendens, vtrinq; vbi surculos largita est (*sub N*) mox secundum posteriorem brachij sedem, vnà cum vena (est enim certum τὸ συναναστομοῦσθαι ἀρτηρίας τῆς Φλεψὶ καθ' ὅλον τὸ σῶμα, vt Galenus loquitur: Arteria enim spiritũ suum & calorem vitalẽ sanguini impertit, & vicissim eadẽ ex

venis ſanguinem tãquã ſpirituũ nutrimentũ exhaurit) & quarto brachij neruo aliquouſq; in externam cubiti ſedẽ, ſub muſculorum inde natorum capitibus (*O.*) abit, Arteriamq; dictã muſculã conſtituit, iuxtaq; cubiti flexuram vtrinq; duos ramulos(*PP*)articulo brachij & cubiti communes, de ſe mittit.

Sub cubiti flexura ipſa Arteria Axillaris, inter muſculos duos digitorum flexores deſcẽdens, in duos inſignes diuidit͛ ramos: quorũ alter ſuperior, ſecundum radiũ(*Q*)delatus, rectà ad carpũ abit, quo loci Arteriȩ pulſũ exploramus: & antequam ad digitos abeat, ſurculũ verſus manus exteriora (*R*)inter primũ pollicis os & poſtbrachialis quo index ſuffulcitur, deducit: tandem ſub annulo progrediens, pollici & indici duos, medio verò vnum ſurculum offert.

Inferior vero ramus (*S*) vlnã rectà percurrẽs ad carpum etiam abit, quo loci Arteriæ etiam pulſum explorare licet, ac antequã in digitos abeat ramulum(*) muſculis iuxta minimum

digitum

digitum largitur: reliquũ ad digitos abit, ad medium enim surculum vnũ, ad medicum verò duos, & ad minimum totidem mittit.

Externa autem manus, vt musculis, sic & arterijs caret.

DE NERVIS MANVS. CAPVT V.

Huc referenda tabula secunda, tertia, & quarta, libri quarti.

NERVORVM in Brachiũ paria exporrecta, alijs quinq;, alijs sex statuuntur, quę ex quinta, sexta & septima, colli: prima & secũda thoracis vertebra, prodeunt.

Secunda tabula intelligenda, vbi solæ adduntur literæ.

Primũ par, ex quinta colli vertebra prodiens (2 & 3 *tab. f. & ππ*) in musculum deltoidem & externæ brachij sedis cutim (*g*) absumitur.

Secundum par, ex sexta colli vertebra prodiẽs (2 & 3 *tab. ϱ*) primũ musculo bicipiti (ς ς) dein ipsi tertio (ω) pari, tũ musculo cubiti lõgissimo (Γ) ramulũ impertit, & ad cubiti flexũ in duos ramos diuisum, ramum vnũ secundum radiũ (ΔΔ) ad brachiale vsq;

 mittit,

mittit, vbi ad externam primi pollicis internodij ſedem ſub cute: alterum verò (Θ) qui maior eſt, ſecundum cubitum ſuper panniculum carnoſum abit, in duaſq; propagines (ΛΞ) diuiſus, in cutim cubiti & man⁹ abſumit.

Tertium par (2.*tab.T*) ſub bicipite cum ſecundo pari (ψ) iungitur, dein diuiſum, ramulũ muſculo brachięo (υ) & cuti brachij (χ) parte anteriore largitur. Mox vbi ad flexuram cubiti peruenit, cum quinto pari (43) miſcetur & radio exporrectus (44) poſtmodum in internam ſedẽ manus abſumitur: ſurculis duob. pollici, duob. indici & vno medio, tranſmiſsis.

Tertia tabula hîc intelligenda.

Quartum par omniũ craſsiſſ. (*2. & 3. tab. Φ & in 3. αα.*) ſub bicipite delatum, cũ vena Axillari interna ſeu profunda, & Arteria progrediens, ad brachij partem exteriorem & poſteriorẽ ſe inflectens, muſculis cubitum extẽdentibus ſurculos (Ψ) vt & cuti & cubiti articulo ſedi (Ω) impertit: tandem iuxta cubiti articulum ad externam brachij apophyſin (34) in duos ramos

mos

mos diuiditur: quorum alter (37) secundum cubiti longitudinem (39) descendens, in carpi partem exteriorẽ (42) absumitur. Alter verò ramus (35) secundum radij longitudinem delatus, extrinsecus surculis (36) duobus in pollicem, duobus in Indicem, vno in medium absumitur.

Hîc secundæ tabula intelligenda.

Quintum par (*2 & 3 tab.* *) inter musculos cubitum flectentes & extẽdentes delatum, vbi ad internam cubiti apophysin peruenit, ipsius musculis (43) surculos largitur, tum inferius progrediens, in duos ramos diuiditur: quorũ vnus extrinsecus (46) per vlnam delatus, surculos duos minimo, duos medico & vnum medio digito, sede externa largitur. Alter verò ramus (45) similiter per vlnam deductus, sed sede interna, surculos duos minimo, duos medico & vnum medio largitur.

Sextum par quod infimum est (8) inter cutim & mẽbranam carnosam iuxta internã brachij apophysin progreditur & in cutim cubiti (48) absu-

mitur, cuius finis non procul à brachialis (47) cũ cubito cõnexu, existit.

DE MVSCVLIS HVMERI, seu Brachij.

CAPVT VI.

CVM Musculi capitis, ceruicis & scapulæ, rectè demonstrari nequeāt, nisi prius musculi Brachij dissecētur, idcirco à brachij musculis exorsi, ad scapulæ, thoracis, capitis, ceruicis, & inde ad dorsi musculos accedemus, quibus expositis, reliquos Manus musculos, cũ diutius incorrupti reseruētur, prosequemur.

Brachium ergò, cum quinque motibus voluntarijs moueatur, antrorsum, retrorsum, sursum, deorsum & in gyrum, his motibus absoluendis, septem constituti sunt musculi, quos dissectionis ordine enumerabimus.

I. Pectoralis (*tab.* 1. *L.* 2 *&* 3 Δ. 4 *Q T.L, K.Δ.R.*) quem Galenus in quatuor diuisit, ex sterno penè toto media clauicula qua osi pectoris proximum est, & sextæ, septimæ & octauæ costæ cartilaginibus, carnoso & lato principio oritur: dein coarctatus interne

ternè in humeri os paulò infrà ipſius caput inter deltoidē & bicipitē, inſeritur. Huius munus eſt, brachium antrorſum mouere, pectorique adducere, dum omni ſui parte æqualiter cōtrahitur: ſicut vel ad ſuperiora magis, vel inferiora, varijs ſuis fibris contractis, trahit. Hic Veſalio, Columbo & Fallopio, primus eſt.

II. Deltoydes (*tab.* 1. *K.* 2. *M.* 3. *P.* 4. *Ξ e. f. g.* 5. *γ. δ.* 9. *L* 10. Δ. 11 *P*) à forma literę Δ, quibuſdā verò Epomis & humeralis, dicitur: ex mediæ clauiculæ parte, ſummo humero qua clauiculæ iungitur, totaq; ſcapulæ ſpina, oritur: dein, in acutū deſinēs, in validū partim carnoſum, partim neruoſū tēdinē, trāſuerſumq;, qui mediā Humeri craſsitiē amplectitur, deſinit, inq; medio humero, ſub ipſi9 ceruice inſerit: hui9 munus eſt brachiū attollere. Veſalio, Colūbo & Fallopio, ſecūd9 eſt.

III. Latiſsimus (*tab.* 1. *N.* 2 Γ. 3 *V.* 4 *m.* 7 & 9 *O.* 10 Θ 11 *c.*) & Aniſcalptor, à ſpinę vertebrarū apicibus, quę ſunt inter ſextam thoracis vertebram & medium oſsis ſacri mēbranoſo &

lato principio oritur: dein ſurſum aſcendens, inferiori ſcapulæ baſis angulo ſuperuectus (cui etiam fibris quibuſdam adnaſcitur, ne dum ſcapula mouetur muſculum tranſcẽdat) ſenſim carnoſior redditus, valido & breui tendine, ſub humeri caput inſeritur. Hic tribus angulis inęqualibus præditus, totam ferè poſteriorẽ partẽ corporis ambit. Huius munus, brachiũ retrò deorſũ trahere: hicq́; Veſalio, Colũbo & Fallopio quartus eſt.

IV. Rotundus maior (*7 M. 8 K. 9 N. 10 & 12 R. 11 L. 13 S.*) qui ſub axilla parte poſteriore ſitus eſt, ab inferiore ſcapulæ coſta & angulo toto ortus, breui tendine in partẽ interiorem & ſuperiorem brachij, inſeritur. Huius truncus, brachium retrò deorſum trahere. Hic Veſalio, Colũbo & Fallopio, tertius eſt.

V. Superſcapularis inferior (*9 tab. M. 10 & 12. Q. 11 Γ*) totã exteriorem atque gibboſam ſcapulæ partẽ, quæ ſub ipſius ſpina eſt, tegit: carnoſus ſcapulæ formam (à cuius baſi enaſcitur) referens amplo breuiq́; tendine

dine articuli humeri ligamēto obſcurè inſeritur. Huius munus brachium circumagere. Hic Veſalio & Fallopio ſeptimus: Columbo verò, ſextus eſt.

VI. Superſcapularis ſuperior (*6 tab. K. 7 & 10 L. 11 G. 12 HH. 13 X*) quibuſdam Epomis, aliјs rotundus minor, ſupra axillam eſt & omnē cauitatē à qua enaſcitur, quę inter ſummam ſcapulā maioremq́ proceſſum poſita eſt, implet: dein ſub tranſuerſo ligamēto, quod eſt à ſummo humero ad anchoræ proceſſum, articuli ligamento inſeritur. Huius munus, cum priori & ſequenti idem. Hic Veſalio, Columbo & Fallopio, quintus eſt.

VII. Subſcapularis (*7 tab. Γ K. 8 H.*) ſeu immerſus, inter ſcapulā & coſtas ſitus, internā ſcapulę partē ſimā, vnde enaſcit̃, occupat & tēdine lato in interiorem humerū inſeritur. Huius munus, cum quinto & ſexto brachiū circūagere. Hic Veſalio & Fallopio, ſextus eſt: Colūbo verò, ſeptim9.

His Cl. Arantius addit, inſignē illā muſculoſam portionem, ab anchoræ capulę proceſſu exortā, quā humero

inſeri vult, humeriq; muſculũ eſſe cẽſet (quẽ primum cubiti muſculũ alij faciunt) qui brachium ſcapulæ proceſſui adducat: Humeri enim & cubiti, germani ſunt motus, flexo namq; cubito, humerũ plerunq; attolli, corporis actionib. obeundis, ex vſu eſt.

DE MVSCVLIS OMOplatę, ſeu ſcapulæ.

CAPVT VII.

SCAPVLAE muſculi, Galeno ſeptem, Syluio quinq;, Veſalio, Columbo, Fallopio & quidẽ rectè, in humano corpore quatuor ſtatuũtur: mouetur autem ſcapula quatuor motibus rectis, antrorſum, retrorſum: ſurſum & deorſum.

I. Serratus minor (*tab.* 4. *K.* 5. r. 1 *Kl*) qui Triangularis Veſalio: à quinque coſtis ſuperioribus (rariùs à ſexta) antequam in cartilagines abeant, oritur ac ſurſum obliquè aſcendens, carnoſus, anguſtiorq; redditus, ſcapulæ iuxta coracoidem internum tendine, partim carnoſo, partim neruoſo implãtatur, ſcapulamq; antrorſum ad tho-

ad thoracem mouet. Hunc humero inseruire Galenus existimauit: Vesalius & Fallopius, primum: Columbus verò, secundum fecit.

II. Cucullaris (*tab.* 9. Γ Δ *E F G H I.* 13 *T.*) quod cum suo pari dorsum integens Cucullam monachi referat. Galeno verò, qui in duos eũ diuisit & Syluio, Trapetius: hic ab occipitio lato & membranoso principio à spinis vertebrarum colli vsque ad octauam thoracis exoritur, inq́; scapulæ spinam totam ac summum humerũ neruosus simul & carnosus, inseritur. Varijs fibris cùm donetur, variorum etiam motuum, nunc sursum, nunc deorsum, rectaq́; ad dorsum, author est. Hic Vesalio & Fallopio, secũdus: Columbo verò, primus est.

III. Rhomboides (*tab.* 10. Γ *G H I K*) qui sub cucullari situs est, tenuis, latus, quadrangularis, à spina triũ inferiorum colli & trium superiorem thoracis vertebris carnosus enascẽs, ad scapulæ basim totam fibris obliquis inseritur ac scapulam sursum nonnihil ad posteriora trahit ac

dorso

dorſo applicat. Hic Veſalio, Columbo & Fallopio, quartus eſt.

IV. Leuator (*tab.* 5 *V*. 6 *K*. 7 *H*. 8 *I*. 10 & 11. *C*. 12 *G*. 13 *Q*. 14 *M*.) ſupra clauiculam à tranſuerſis quinq; vertebrarũ colli proceſsibus varijs principijs enatus, qui coëuntes validum carnoſumq́; efformantes muſculum mox elatiori & interiori ſcapulæ angulo, lato carnoſoq; fine inſeritur, eamq́; verſus anteriora ſurſum trahit. Hic Veſalio, Columbo & Fallopio, tertius eſt. Huic Galenus & aliũ addit, quẽ pro ſecundo pari oſsis hyoidis recenſuimus.

His quatuor Syluius ſerratũ maiorẽ addit, eò quòd ſcapulæ adnaſcatur, qui tamen ſecundus thoracis eſt, de quo mox.

DE MVSCVLIS Thoracis.

CAPVT VIII.

THORAX cum facultate partim vitali, partim naturali dilatetur & conſtringatur, muſculos octuaginta nouẽ obtinuit, vtrinq; nimirum quadraginta quatuor, videlicet

cet thoracis proprios ſex de quibus nũc progreditur: intercoſtales vtrinq; triginta quatuor, de quib. cap. primo libri ſecũdi. Abdominis vtrinq; quatuor, niſi lubeat, pyramidalẽ vtrinq; vnũ addere, de quib. in hiſtoria Abdominis ca. 6. & deniq; ſeptũ trãſuerſum, vtriq; lateri communem, de quo lib. 2. cap. 5.

I. Thoracis muſculus, eſt Subclauius (*tab. 4. d. 5. Z.*) qui ab interiore ac inferiore clauiculæ parte carnoſus enatus, obliquè antrorſum in primam coſtã qua ſterno iũgitur carnoſus implantatur, quam ſurſum trahendo thoracem dilatat. Hic Veſalio, Columbo & Fallopio, primus eſt.

II. Serratus maior (*tab. 1. OOO. 2 OOO. 3. 5 6 7. 4. l. 5 m. 6. R. 7 LL. 8 FF. 11* X. 12 *S. 13 T.*) ex tota ſcapulæ baſi interiori carnoſus ampluſq; enatus, octo ſuperioribus coſtis (quandoq; nonæ) antequã in cartilaginem finiant, inſertionibus acutis, tanquã digitis diuiſis, inſeritur. Hic in maximis conatibus, coſtas extrorſum trahendo, thoracem dilatat: eſtq; Veſalio, Colũbo & Fallopio, ſecundus.

III. Triangularis (8. *tab.* β.) intra thoracis ciuitatem sub sterno situs, paruus ac subtilis, inq; emaciatis vix carneus, ab inferiori sterni parte enatus, obliquè sursum versus exteriora cartilaginibus inferioribus innatus procedit, quas inuicem adducendo, thoracem constringit: in canibus verò, totũ sterni latus occupat. Hic Vesalio, Colũbo & Fallopio, sextus est.

Hi tres parte anteriore, quemadmodum sequẽtes posteriore, siti sunt.

IV. Serratus posticꝰ superior (*tab.* 10. *E* 11 *F.*) qui paruus & sub Rhõboide situs, à spinis trium inferiorũ vertebrarum colli ac primæ thoracis latus & membranosus enatus, ac sub scapula obliquè ductus, trium superiorum costarum interuallis tripartitus inseritur, quibus sursum tractis, thorax dilatatur. Hic Vesalio, Colũbo & Fallopio, tertius est.

V. Serratus posticus inferior (*tab.* 11. Δ.) mẽbraneus, latus & quadrangularis ex spinis duarũ infimarũ vertebrarum thoracis, ac aliquando etiã superioribus lumborũ enatus, trans-

uer-

uersimq́; latus atq; dorsalibus incũbens, ad quatuor inferiorum costarũ interualla, ipsisq́; costis, antequam in cartilagines desinãt, velut in digitos diuisus inseritur. Hic costas extra trahẽdo thoracẽ dilatat, estq́; Vesalio & Fallopio quintus: Columbo verò quartus.

VI. Sacrolũbus (*tab.* 12. Δ*KLM.* 11 *Q.* 13 *OO.*) qui thoraci ac dorso cõmunis censeri potest, carnosus ex posteriore ossis sacri sede & interna parte ossis ilij prodiens, dorsi musculis ad infimã thoracis vertebrã adeò cõmiscetur, vt illius portio esse videatur: qui vbi ad costas peruenit ab eo secedẽs, tenuiorq́; redditus omnium costarum radicibus inseritur, quas dum deorsum trahit, thoracẽ cõstringit. Hic Vesalio & Fallopio, quartus: Columbo vero, quintus est.

DE MVSCVLIS Capitis.

CAPVT IX.

CAPITIS musculi etsi in collo locẽt, à colli tamẽ musculis sũt distinguendi. Caput dupliciter moue-

mouetur primo quidē ſupra primam colli vertebrā, antrorſum flectēdo & retrorſum extēdendo: ſupra ſecūdam verò velut ad axim, ſiue flexū ſiue extenſum circumducitur, idq; proprijs muſculis perficitur. Secūdariò verò, à colli muſculis mouetur, eo enim moto, caput ad latera mouetur.

Muſculi ergò proprijs motibus capitis deſeruientes, vtrinq; ſeptem ſunt, quorum ſex in poſteriore, vnus verò in anteriore colli parte, ſiti ſunt. Horum alij caput extendunt, alij flectunt, alij circumagunt.

Extenditur caput octo muſculorum beneficio, quorum

Huc 12. tab. I. Splenij duo (10 & 11 *tab. A.* 12 r.) qui carnoſi ſatis, à ſpinis quinque ſuperiorum (*A.*) thoracis & quatuor inferiorum (ſed leuiter) colli vertebrarum orti, circa ſpinā tertiæ (*D.*) colli vertebrę ſeiuncti, obliquè in occiput (*B. C.*) lato fine implantantur. Hoc primum par eſt muſculorū capitis Veſalio, Columbo & Fallopio.

Huc 13. tab. II. Complexi duo (5. *tab. T.* 10 & 11 *B.*|12. *FF.* 13 *ABCDEFGG.*) à

varia

varia eorum forma & impressione sic dicti; vt qui ex quatuor veluti musculis cõstare videntur, cũ multas partes tendinosas, multasq; carnosas habeant: horum alij acuto initio, ex quartæ & quintæ thoracis vertebræ (*A*) processu trãsverso, alij à septimæ colli vertebræ (*a C ad D*) spina, alij à primæ & secundæ thoracis transuersis (*ab E ad F*) processibus, alij ab omnibus istarum vertebrarum trãsuersis processibus molem carneam (*G G*) efformãtes enati, sursumque coniuncti in occiput medium (*D*) abeunt. Hoc secundum Vesalio, Columbo & Fallopio, qui capiti & ceruici communes dicit, par est. Horum quatuor, vt & sequẽtium quatuor munus, si simul agãt, caput ad posteriora trahendo, extendere: cùm verò alter solus agit, caput in latus circulariter agere.

III. & IV. Parui quatuor, carnosi graciles, qui Recti dicũtur, quorum duo Maiores (14. *A B*) à spina (*E*) secundę colli vertebrę, prodeunt. Alij duo, sub his Minores (14. *tab. F G*) à

parte posteriore primę vertebrę, in exortu cõtigui, prodeunt, omnesq́; quatuor teretes in mediũ occiput desinunt. Hoc tertium & quartum, Vesalio, Colũbo & Fallopio, par est.

Circumagitur caput cum prima vertebra, supra secundam, quatuor musculorum obliquorũ beneficio.

V. Obliqui superiores (14.*tab.H I*) sub ipsis Rectis è medio occipitio prodeuntes, transuersis processib⁹ (*D*) primę colli vertebrę obliquè inserũtur. Hocq́; quintum, Vesalio & Fallopio: Columbo verò, sextum par est.

VI. Obliqui inferiores (14.*tab. K L*) à spina recta (*E D*) secundæ colli vertebræ prodeuntes ad transuersum processum primæ quoq; vertebræ obliquè abeunt. Hi quatuor vtrinq; triangulũ æquilaterũ constituũt: estq́; Vesalio & Fallopio, sextũ; Columbo verò, quintum par.

Flectunt verò caput, musculi duo parte anteriore siti, qui validi, longi & teretes.

Huc 4.tab. VII. Mastoidei dicuntur (1.*tab.F*

27. 40. 5 *K.9 D*) ac vtrinq; in duos diuidi possunt, qui à summo sterno (*X*) & parte clauiculę (*Y*) vicina, neruei & lati exorti, carnosi in processum mammillarē & posteriorem occipitis partem (*Z*) obliquè inseruntur. Hocq; Vesalio, Colūbo & Fallopio septimū par est; quod si simùl agāt, caput anterius flectūt: si verò horū alteruter solus agat, caput ad anteriora in latus circumagit.

DE MVSCVLIS CERuicis, seu colli.

CAPVT X.

MVSCVLI primariò collum, secundariò verò caput mouentes, vtrinq; quatuor sunt, quorū alij parte anteriore & ad ceruicis latera, quatuor nimirum: alij parte posteriore (q totidē) siti sunt. Hi ceruicem antè, retrò, ad latera & circulariter mouent: de quibus Vesalius in fine capitis 28: vbi de musculis capitis tractauit, egit: sed ex professo, de ijs inter dorsi musculos, egit.

Huc 8.tab. I. Longi duo (7.*tab.* CD. 8. AB. 14.*fig.lib.* 5. AB) parte anteriore ſub œſophago ſiti (vnde muſculi ſub œſophago latitantes dicuntur) à quintæ thoracis vertebræ corpore carneo & acuto principio prodeũt, & obliquis fibris per colli longitudinẽ, cuiꝰ vertebris adnaſcũtur aſcẽdunt, & acuto tẽdine in primę vertebrę ꝓceſſum finiũt: rarius enĩ occipitio obſcurè inſerunt, ita vt ab ijs etiã occiput flecti videatur. Hi ceruicem verſus anteriora flectunt: ſi verò alteruter ſolus agat, in latus inclinat. Hoc primum eſt par ceruicis, Columbo: Veſalio verò, primum par dorſum mouentium.

II. Scaleni duo (7.*tab.* G 8. C. 14. N) ad ceruicis latera repoſiti, à prima coſta carnoſi & ampli exorti, ſenſim aſcendentes arctati, triangulum penè efficiunt & in omnes trãſuerſos proceſſus vertebrarum colli, internæ fibris obliquis inſerũtur. His autem peculiare, quod foramẽ habeant quo venę & arteriæ in brachium excurrẽtes ꝑtranſire poſſint.

Hoc

Hoc ſecundū ceruicis, Columbo: Veſaliò verò,ſecundū par dorſi eſt.

III. Tranſuerſales duo(13.*tab.H*) in dorſo ſiti, à radicibus trāſuerſorum proceſſuum ſex thoracis vertebrarum orti, externè in omnes trāſuerſos colli proceſſus abeunt. Hoc tertium par ceruicis, Columbo: dorſi verò tertium, Veſalio eſt.

Horum quatuor munus eſt, collum rectà ad latus flectere, cū vterq; eodem agit tempore: cum verò alter tantùm agit, tum obliquè mouetur. Inter hos, Nerui ſpinalis medullæ è vertebris colli exeuntes, pertranſeunt.

IV. Spinati duo (14.*O*) à radicibus ſpinarum ſeptem ſuperiorum vertebrarum thoracis & colli ſpinis exorti, in ſecundæ vertebræ colli ſpinam inferiorem, deſinūt, amboque vertebrarum ſpinis duntaxat diſtinguuntur. Hi ſi ſimùl agāt, collū ad poſteriora trahendo, extendunt: ſi verò alteruter ſolus agat, obliquos motus perficit. Hoc quartum par eſt ceruicis, Columbo: Veſalio

verò, dorſum mouẽtium ſeptimus, ſeu quarti paris alter.

DE MVSCVLIS Dorſi.

CAPVT XI.

DORSI atque vniuerſæ ſpinæ muſculi, adeò miſti atq; cõfuſi ſunt, vt alij in plures, alij in pauciores muſculos diuiſerint. Hi verò ſingulari naturæ artificio, vt eleganter Arantius, ſpinæ dirigendæ inuicem adeò connexi, imò potius continuæ, indiuiſibilesque eorum ſunt particulæ, quo validas quibus præſunt actiones, ea connexione faciliùs ſuſtineãt ac perficiant, dum omnes ſimùl in vnum motum conueniunt: deſtinati enim ſunt, vnà cũ vertebris omnibus, reliquam corporis molem erigere ac retinere. Quare, cum vere ſeiungi nulla ratione queant, vel totidẽ quot ſunt vertebræ paria numeranda videntur: vel vnum tãtummodo par, tendinoſas diſtributiones, vertebris omnibus offerens, ſtatuendum: cuius

ſus quidem paris altero agente, ſpina extenſa, in illud latus inclinat: vtriſq; verò ęqualem actionē obeuntibus, pro eorūdem intenſione aut remiſſione in neutrā partē vergens, retrorſum recuruatur. Vnde muſculi hi in ſenib. maximè ꝓpter humores pituitoſos qb. abundāt, laxiores effecti, corpus erectū minimè cōtinere poſſunt. Sed enumeremus ſecūdū Anatomicos, dorſi muſculos.

Muſculis octo Dorſum mouetur, quorū ope antrorſum, retrorſum, ad latera & circulariter mouetur, quibus Veſalius ceruicis muſculos addit. Syluius verò, ſex conſtituit & lumborum muſculos vocat.

I. Quadratus (7. *tab.* 8. Ξ 13. 8. 14. P) aliјs triangularis, vtrinq; vnus, à cauitate poſteriore ſuperioreque oſſis ilij & interiore ſuperioreq; oſſis ſacri, lati carnoſiq; oriuntur, qui tranſuerſis proceſſibus vertebrarū lumborum adhærentes, infimæ coſtæ carnoſi inſeruntur. Hoc quintū par muſculorū dorſi, Veſalio: Columbo verò, primum par: Syluio *Huc 8. tab.*

verò, primum par lumborum. Hi vertebras lumborum flectunt: si verò alteruter solus agat, tūc ad latus trahit, vel vt loquitur Vesalius, obliquam flexionem efficit.

Huc 13. tab. II. Musculorū longissimum (13. *tab.* Γ 12. *N* 14. *QRS.*) corporis nostri, ab extremo enim ossis sacri (*L*) neruosi & validi exorti, ascendētes carnosiores redditi, transuersis processibus vertebrarū lumborū inseruntur, ac omnibus transuersis processibus vertebrarū thoracis, tendinem neruosum (*MM*) largiuntur & in primā thoracis vertebrā Vesalio & Syluio finiūt: vnde semispinatus quibusdā. Colūbo verò, in os tēporale desinūt. Hoc sextū par musculorū dorsi Vesalio Colūbo verò, secūdum: Syluio autē, secundū par lūborum, seu extendentium primum. Hi dum simul agūt thoracē & lumbos extendunt Vesalio: Colūbo verò, vniuersum dorsum & caput etiā ad posteriora flectunt: at alterutro solū agente, in latus spina extēditur.

III. Sacer (14. *tab.* *T*) prædicto subia-

ſubiacet: à poſteriore oſſis ſacri parte (*V*) acuto initio exorti, ſpinis vertebrarum lumborum annectuntur & in duodecimæ, aliquãdo vndecimæ vertebræ (*X*) thoracis ſpinã acutè terminantur, & ſpinæ partem cui committuntur, extendũt: alterutro verò ſolùm agente, in obliquũ dorſi pars extenditur, lateralemq; inuolutionem parit. Hoc ſeptimum dorſi par Veſalio, tertium Columbo. Syluio verò tertium par lumborũ, ſeu extendentium ſecundum.

Tria hæc paria, cum ſexto Femoris muſculo ψόαι, νεφρομήτραι & ἀλώπεκες dicuntur: licet ſint qui velint, primum ſolùm dorſi par cum ſexto Femoris, his nominibus donari.

IV. Semiſpinatus (14.*tabul.* *Y*) à duodecimæ, aliquando vndecimæ vertebræ thoracis ſpina, principio (*iuxta X*) acuto exorientes, ſurſumq; exporrecti paulatim craſſeſcunt (*ad Y*) & omnes vertebrarum thoracis ſpinas (neruoſis fibris intertexti) amplexantur: tum rurſus (*a*) extenuati, in primæ thoracis vertebræ ſpinam

acutè finiunt. Hoc, octauum par est Musculorum dorsi, Vesalio: Columbo verò, quartū: cuius munus thoracē erigere, & cū predicti vnà agūt, dorsum rectum detinere: at vnius solùm lateris agētibus, in latus mouent. Nunc ad Manus musculos redeamus.

DE MVSCVLIS cubiti.

CAPVT XII.

CVBITVS duobus mouetur motibus, flectitur & extenditur, idq; beneficio quinq; Musculorū Vesalio: quatuor verò, Syluio Columbo & Fallopio. Flectunt enim duo: Extendunt verò Vesalio tres, alijs duo. Flectentium anterior seu primus.

I. Biceps (*6.tab. Θ.5 ζ.7 RR.9 Q.16 t.*) dicitur, quod gemino à se distante principio à scapula oriatur: altero nerueo ac tereti, à superiori supercilio (*m*) acetabuli ipsius scapulæ p fissurā brachij; altero partim nerueo

(*n*)

(*n*) partim carneo (*o*) à ſcapulæ anchorę ſimili(*l*)proceſſu, qui paulò infrà humeri caput (*p*) coēuntes, muſculum craſſum efformāt, qui deorſum latus in tendinē neruorū (*q*) abiens in interiorem radij eminentiā inſeritur: ſed & huius pars carnoſa in mediū os brachij, ad eius eleuationem inſeritur: hāc portionē, aliqui humeri ſeu brachij octauū muſculum dicunt.

II. Brachiæus (8.*tab.Γ.6 rr.4 xx.5 θθ.7 P.9 R.10 d.11 g.12 Υ.13 a*) flectentiū poſterior ſeu ſecundus, prædicto cui ſubiacet multo breuior, ab oſſe humeri(*L M*)carnoſus exit, & in cubitum ac radium parte anteriore (*N*)infigitur. Veſalio, poſterior cubitum flectentium muſculus.

III. Longus (*6.tab.ſ.7 NN.9 T.10 a.11 f.12 T.13 b*) extendentium primus eſt, qui valido latoq; principio ex humiliore ſcapulæ coſta ad ipſius ceruicem (quo loci peculiarem ſinum obtinet) oritur ac carnoſus cū ſuo tendine in olecranum deſinit. Hunc ſi diuidamus vt fecit cū Galeno,

no Vesalius (12.X.13.d.) extendentium secundum constituere licebit.

Huc 11. tab. IV. Breuis (11.tab.Θ.9.S.20.b.12.V.13.c) extendentium alter, à sede posteriore ceruicis humeri (d) neruoso principio exoritur, ac carnosus redditus, humero pertinacissimè adnascitur, & priusquā mediā brachij longitudinē superarit, cùm prædicto ita (e) miscetur, vt ad insertionem nullo modo separari, vnusque statui possit.

Hi cubiti musculi dicuntur, non quod in cubito siti, sed quod cubitum moueant: qui enim in cubito sunt siti, partim vlnæ, partim brachiali, partim digitis mouendis inseruiunt.

DE MVSCVLO IN VOla latitante, seu Palmari, cum duobus vel tribus paruis.

CAPVT XIII.

MVSCVLVS, omnibus summæ manus musculis interioribus superstratus (1.tab.Υ.2.h.3.Γ.4.λ) neruosus ac teres ab apice interni

interni tuberculi ipſius humeri prodiens, ilicò carnoſus, ventre tamen non impenſe craſſo, redditus, antequam ad cubiti medium deueniat, attenuatus in tendinem anguſtum deſinit, qui ad brachiale abiẽs, ſubq́; cute tranſiens, in vola latefcit & cuti ipſius manus ad extremam ferè digitorũ aciem, validis fibroſisq́; nexubus (licet plurimus adeps intercedat) ſubnaſcitur. Hic aliquãdo deeſſe dicitur & Colũbo, primus muſculus interior manus, vocatur.

Vſus, vt volæ cutis in rerũ apprehenſione, firmiter corrugari poſſit: quibuſdam, vt flexioni digitorũ auxilietur, ipſisq́; exquiſitiorẽ ſenſum præbeat, quod tamẽ, vt dictũ fuit ſuperiùs, neruis potius tribuendũ eſt.

Huic addamus alios paruos, qui in principio manus internæ, qua octauum carpi os ſitum eſt, locantur. Hi enim, ab extrema parte tunicæ muſculi montem Lunæ conſtituentis orti, fibris tranſuerſis ad latũ tendinem, in vola graciles admodum, duorum aut trium aliquando diui-

ſura,

ſura, aſcendunt. Quorum munus, in magnis volæ contractionibus, Lunę noctem ad mediam manum contrahere.

DE MVSCVLIS digitorum.

CAPVT XIV.

CVM Digiti vel flectãtur vel extendãtur, muſculos natura præfecit. Flectẽtes quidem duodecim, quorum alij pollicẽ, eiusq́; vel primum, vel ſecundum, vel tertium internodium, mouent: alij verò, reliquos quatuor digitos, pari pacto mouent. Extendentes dicimus totidem, qui vel pollicẽ, vel alios quatuor digitos extendunt, idq́; vel ſimpliciter, vel adducendo, vel abducẽdo, de quibus ordine.

DE MVSCVLIS FLEctentibus Quatuor digitos.

CAPVT XV.

FLECTENTIVM primus (5. *tab*, Θ. 4 β. 6 ε) ab interno humeri tuberculo neruceus enatus, per anteriorem

teriorem vlnę partem delatus, antequam ad carpum perueniat, in quatuor partes diuisus sub ligamento anulari in carpo (4.*tab.*ϑ) transuersim sito, delatus, in secundum quatuor digitorum os, tendinibus nerueis & pellucidis, iuxta primi internodij medium perforatis, inseritur. Hic secundum internodium primariò, & secundariò insimul & primũ internodium flectit. Estq; primus digitos mouens, Vesalio & Fallopio: quartus manus interior musculus, Columbo.

Flectentium secundus (*6.tab.ƺ.7.c*) priori cui subijcitur validior, ex eodem loco exortus, similiter in quatuor partes diuisus (qui tamen neruosa tunica coniunguntur) suis tendinibus neruosis qui per foramina tendinum primi musculi pertranseunt, tertio internodio implantantur, ipsumq; (vt statuunt) flectũt. Sed & duodecim articulationes insigniter contrahit: si enim tertium articulum flectere velimus, etiam inuitis nobis reliquas curuare cogimur.

Estq;

Estq; secundus Vesalio & Fallopio: quintus manus interior musculus Columbo. Verùm vtriusq; dicti musculi tendines dum ad primum peruenêre internodium, per durum & membranosum ligamentum abeũt.

Musculi Lumbricales.

Flectentiũ tertiũ, quartũ, quintũ & sextũ eos dicimus qui Lumbricales seu vermiculares (*6. tab. zz. 7. d*) dicũtur. Secũdi enim musculi tẽdines parte inferiore in ipsa vola, carnosas, longiusculas, teretes acquirunt portiones, qui à mẽbranis quatuor digitorum tendines obducentibus, oriũtur: ac exiguo neruco tẽdine in quatuor, digitorum, alijs primum (& hæc fortè ratio, quod Galenus voluerit primum digitorũ internodium, ligamentis secundi moueri) alijs secundum internodium, ad ipsorum motum, implantantur, quamuis & secundario quatuor digitos extendãt, & per accidens obliquis motibus conferre possint. Hi sunt quatuor illi, quos vltimò inter digitorum musculos Vesalius enumerat

nerat & quatuor digitos ad pollicem, his adduci vult: Columbus verò, quatuor extremę manus musculos vocat. Fallopio verò, quatuor vltimi digitorum musculi sunt.

DE MVSCVLIS FLEctentibus Pollicem.

CAPVT XVI.

FLECTENTIVM Pollicem primus (*6.tab.η.ς.ϱ.7.b*) in Cubito situs, carnosus ex vlnæ sede iuxta cubitũ ortus, perq; radium delatus, vnico tendine, sub ligamẽto anulari delato, in tertiũ pollicis articulum flectendum, inseritur. Hic Vesalio & Fallopio, tertius digitum mouens. Columbo verò, sextus manus interior musculus.

Flectentiũ Pollicem secundus (4. *tab.i.6.x*) à sede superiori, ligamenti anuli dicti carneus oritur, & toti internæ regioni primi ossis pollicis attenditur, & obscurè ad secundũ vsq; pertingit. Hic Vesalio duodecimus, seu primus pollicis musculus: Fallopio, quartus: Columbo, nonus extremæ manus musculus.

Z Flecten-

Flectentium tertius (*6 tab. λ. 7 a*) prædicto ſubiacens & partim ex eodem loco, partim verò ab oſſe carpi pollici ſubiecto, exortus, in radicem primi oſſis pollicis vſq; ad medium inſeritur. Hic Veſalio decimustertius, ſeu ſecundus pollicis muſculus: Fallopio, quintus. Hiq; duo primum pollicis internodium flectunt.

Flectentium quartus, ab oſſe metacarpij, medio ſubiecto carnoſus oritur & in latus ſecundi oſſis pollicis, verſus indicem inſeritur. Hic Veſalio, decimusquartus: Fallopio, ſextus Columbo, decimus extremæ manus muſculus.

Flectentiū quintus, prædicto contiguus & carnoſus, eodem loco exortus, aliqua parte os quod annulari ſubijcitur tangens, in medium ſecūdi oſſis pollicis, parte interna exiguo tendine inſeritur. Hic Veſalio, decimusquintus: Fallopio, ſeptimus: Colūbo, vndecimus extremæ manus muſculus.

Flectentiū ſextus, ab oſſe annulari ſubiecto oritur, & in ſecūdi oſſis pol
licis

licis parte interna inſeritur. Hic Veſalio, decimus ſextus: Fallopio, octauus: Columbo, duodecimus extremæ manus muſculus.

Hi tres (7.& 13 *tab. num.* 1.2.3.& 8. *tab. X*) dũ ſimul contrahuntur, ſecundum pollicis flectunt internodium: primo aũt ſolùm agente, pollex ſurſum verſus indicẽ mouetur: ſi ſecundus, ad medios digitos pollex flectitur: ſi tertius, pollex deorſum & verſus minimum flectitur.

DE MVSCVLIS EXtendentibus quatuor digitos.

CAPVT XVII.

Extendentium primus (9. *tab. Z.* 2 *V.* 10 *ſ.*) ab exteriori humeri tuberculo enatus, carnoſus euadens, parte poſteriore deſcendens prope carpum plerumque in tres, rariùs quatuor tendines neruеos, ligamento colligatos diuiditur, qui ad indicis & medij anularis ſecundum & tertium internodium ſub ipſis unguibus (vndẽ tantus dolor, ſi quid vngues & carnem

 intercedat)

intercedat) ad ipſorum extenſionē, abeunt. Hic digitorum motorū decimusſeptimus, Veſalio: nonus, Fallopio: primus manus externus muſculus, Columbo,

Hic alium adhuc muſculum nobis Arantius proponit, qui tamē ad extendentium tertium referri poteſt: Hic à cubito exortus, atque in tendinem tranſuerſo ligamēto munitum abiens, obliquo itinere in indicis latus, mediū digitum reſpiciēs, inſeritur, vt aliquid indicanti ſolus obliquè extendatur: & hunc indicatorium nominat, eò quòd indicationi ſit præfectus, & citra omnem diſſectionem ſit conſpicuus.

Extendentium ſecundus (*9.tab.Θ.2.X.10.r*) ab eodem tuberculo gracilis longusq́; ortus, ac ſecundū cubiti longitudinem delatus, tandem in vnum, aliquando duos diuiditur tendines nerueos, altero ad anularem, altero ad minimū digitum miſſo, qui hos digitos extendunt & nōnihil ad exteriora, potiſſimum minimum, abducunt. Hic decimusoctauus,

uus, Vesalio: decimus, Fallopio: secundus manus exterior musculus, Columbo.

Extendentium tertius (10.*tab.p.*) prædictis subiacens, carnosus à media cubiti parte enatus, obliquè ad radium descendit, ibiq; in duos tendines diuiditur, quorum superior, indici: inferior autem, medio: nonnunquam solùm in indicem, eum obliquè extendendo, inseritur: vsus est digitos à Pollice abducere. Hic decimusnonus, Vesalio: vndecimus, Fallopio: tertius manus exterior musculus, Columbo.

Extendentium quartus (1.*tab.f.*4. *n.*9.*h*) breuis & validus, à quarto carpi osse ortus, carneus, forma muris, ad minimi digiti radicem ascendit, eiusq; lateri gracilis & nerueus inseritur, ipsum à reliquis digitis abducendo. Hic vigesimus, Vesalio: duodecimus, Fallopio: sextus extremæ manus musculus, Columbo.

DE MVSCVLIS EXtendentibus Pollicem.

CAPVT XIIX.

EXTENDENTIVM Pollicẽ primus (10.*tab.o.*11*u.*1 *d.*2 *e.*9 *f.*) à membrana, quæ cubitum radio iungit, in exteriori vlnæ ſede oritur, & in tendinem teretem deſinit, qui in pollicem vſq; ad tertium internodium inſeritur, eumq́; verſus indicem extẽdit, & ab alijs abducit. Hic vigeſimusprimus, Veſalio: decimustertius, Fallopio: quartus manus exterior muſculus, Columbo.

Extendentium ſecundus (10 *tab. l.m.n.* 11 *q.r.*) à cubito carneus oritur, & obliquè ſupra radiũ conſcendens, muſculo bicorni inſeritur, ac in duas partes diuiſus, quarũ ſuperior in tendinẽ, oſſi carpi pollici ſubiecto deſinit: inferior verò, rurſus in duas portiones carneas diuiditur, quarum altera, iuxta radicem primi pollicis internodij inſeritur: altera verò, in radicem ſecundi oſſis pollicis, & etiã tertio oſſi adnaſcitur, cuius

ius vſus pollicem introrſum verſus extendere. Hic vigeſimusſecundus, Veſalio: decimusquartus, Fallopio: quintus manus exterior muſculus, Columbo.

Extendentium tertius (*3.tab.p.4 μ.*)ab anteriori parte oſſis carpi pollicem ſuſtinentis oritur, & in primum pollicis os inſeritur, & eum ab indice abducit. Hic vigeſimustertius, Veſalio: decimusquintus, Fallopio: ſeptimus extremę manus muſculus, Columbo.

Extendentium quartus (*1.h. 2 d. 9 g. 10 t. 11 ſ. 12 n*) qui ſpaciũ quod inter pollicem indicemq; eſt, occupat, ab interna & quaſi poſteriori oſſis metacarpi indici ſubiecto, carneus oritur & in totum primum pollicis internodium inſeritur, mẽbraneumq; tendinem ſecundo trãſmittit, pollicemq; indici adducit & ſuperimponit. Hic vigeſimusquartus, Veſalio: decimusſextus, Fallopio: decimustertius extremæ manus muſculus, Columbo.

DE MVSCVLIS METAcarpij ſeu Interoſſeis.

CAPVT XIX.

MVſculi octo in Metacarpo, ab eius oſſibus exorti, latitant, & ſingulis oſſibus ad latera gemini carnoſi adhærent: mox neruoſi redditi, per quatuor digitorũ poſteriora, ad ſecundum articulum tertiũ vſq; repunt, horũq; tendines, tendinibus Lumbricaliũ muſculorũ miſcẽtur (*tab.* 8. *ſub* Δ) ac cũ illis, ſecundũ & tertiũ internodiũ, extendunt Veſalius verò, qui hos pro quarto 5. 6.7.8.9. 10. & 11. muſculo digitorũ recenſuit, primũ digitorũ internodium flectere voluit. Columbus autem, octo poſtremos extremæ manus muſculos dicit, & cũ duo ſimùl agunt, primũ articulum in quod inſerantur rectà flectere: ſed cùm vnus ſolus agit, motum obliquum flectẽdo efficere. Fallopio, Metacarpij dicuntur muſculi. Verùm hæc etiã intrò flexam cauitatẽ, tàm in metacarpo, quàm in pedio, ita æqualem ac planam

planam reddunt, vt dictorum musculorum tendines ad ſua ſinguli munera probè perficienda plano ac molli ſtrato inſidentes, recto itinere perueniant, prohibeaturq́; ne ſubiectorum oſſium duritie collidantur: & eoſdem cum ſuperpoſito adipe, exiccari minimè permittant.

DE MVSCVLIS Carpi ſeu Brachialis.

CAPVT XX.

CARPI muſculi quatuor ſunt, quorum duo internè ſiti, qui flectunt: duo verò externè, qui extendunt.

Flectentium primus ſeu inferior (4.*tab.*Σ 1.*tab.* Z 2.*a* 3.*m.s x*.9.Ξ) ab interno humeri tuberculo, principio ex carnea nerueaque ſubſtantia mixto, oritur: & in quartum os carpi, carnoſo & neruoſo fine, implantatur. Hicq́; eſt ille, cui dum ſcribimus innitimur. Brachiale mouentium primus, Veſalio & Fallopio: ſecundus muſculus interior ipſius manus, Columbo.

Flectentium secundus, seu supernus (3. *tab.* Λ 1 X. 2 *g.* 4 *e*) ab eodem tuberculo ortus, obliquè descēdit, & ante carpi radicem in tendinem teretem desinit, & in radicem ossis metacarpij quod indici præponitur, inseritur. Brachiale mouentium secundus, Vesalio & Fallopio: tertius musculus interior ipsius manus, Columbo. Hi dum simùl agūt, carpi flexuram efficiunt: alterutro verò agente, obliquè nunc sursum, nunc deorsum mouet.

Extendentium primus seu inferior (9. *tab.* Λ 2 Υ 10 *q*) inter primum carpi & primū digitos extendentis situs, ab humeri externo tuberculo principio sumpto, in os metacarpi quod minimo digito subijcitur, tēdine nerueo & valido desinit. Brachiale mouentium tertius, Vesalio & Fallopio: sextus musculus exterior ipsius manus, Columbo.

Extendentiū secundus seu superior, vel Bicornis (11 *tab.* Λ 1 *b.* 2 *T.* 3 *c.* 9 Υ. 10 *f.* 12 *o.*) ab eodē loco prodiens, radio insternit; dein in tendinē

robustum

robustum ac bicornẽ desinit, quorũ alter, in metacarpi os primũ, quod indicẽ sustinet: alter verò, in secundum, cui medius innitur, inseritur. Brachiale mouentium quartus, Vesalio & Fallopio: septimus musculus exterior ipsius manus, Colũbo.

Hi dum simul agunt carpũ extendunt, extrorsumq; reflectunt, secũdariò autem, carpum circumagunt: alterutro verò agente, varios motus efficiunt.

DE MVSCVLIS RADII.
CAPVT XXI.

RADIVS, beneficio duorũ internorum musculorum, pronus, & duorum externorum supinus, supra vlnã redditur, ipsiusque radij beneficio, manus secundariò eosdem motus obtinet.

Supinatorum longior (*tab. 6 A. 12 Θ. 1 a. 2 S. 3 d. 4 α. 5 κ. 7 Υ 9 Χ 10 e. 11 b*) omniũ eorũ qui cubitũ perreptant quoad ventrẽ, longissimus: ab externo & superiore humeri tuberculo, carnosus oritur: dein, latus expansus, radio obliquè insternitur

& ex-

& exacto tendine in radij appendicem inseritur Vesalio & Fallopio, secundus: octauus exterior musculus ipsius manus, Columbo. Hic inferiorem radij partem conuellēdo, manum supinam reddit.

Supinatorum breuior (10. & 12. *tab.* A 11. *m* 13. *b*) ab vlnæ posteriore processu oritur, & obliquè radio iuxta anterioris musculi insertionē, implantatur: cuius munus est dum superiorem radij partem obliquè extrorsum conuellit, manum supinam reddere. Vesalio & Fallopio, quartus: nonus exterior musculus ipsius manus, Columbo.

Pronatorum primus, seu Quadratus (*tab.* 7. *X* 8. *S*) ab infimo cubito propè carpum carnosus exoritur, atque anteriori parte transuersus in radium tendine membranoso inseritur. Hic dum inferiorem radij partem introrsum trahit, in pronum adigit. Estq; Vesalio & Fallopio Radij primus.* Columbo verò, octauus interior musculus ipsius manus.

Prona-

Pronatorum alter, ſeu Rotundus (*tab.7.Q.1 V.2 f.3 e.4 y.5 i.6 x.8 R.12 e.13 f*) ex interioris humeri tuberculo & ex interiori vlna latere carnoſus enaſcitur, & obliquè in medium ferè radium neruoſo tendine inſeritur. Hic quoties contrahitur, ſuperiorem radij partem introducens, manum pronam reddit. Eſtque Veſalio & Fallopio, tertius. Columbo verò, ſeptimus interior muſculus ipſius manus. Et hæc de muſculis ipſius manus.

DE OSSIBVS totius manus.

CAPVT XXII.

DE *MONSTRATIS* partibus continentibus communibus, vnà cum contentis, muſculis nimirum & organis communibus, nunc de oſſibus paucis, de ijs ſuo loco, fuſiús.

Oſſa totius manus, ſunt vel humeri, vel cubiti, vel manus extremę.

Huc refer libri primi, capitis 23. figuras: harum enim prima, dextri humeri anteriorē, altera poſteriorē faciem proponit.

HVME-

HVMERI os vnicum eſt (*fig. duæ exprimunt*) quod ſcapulæ & cubito articulatur, hoc, Græcis βραχίων dicitur. Hoc duo habet capita, aliud ſede interna amplum (1.2.*fig. ABC*) & orbiculare, qđ cartilagine incruſtatum in ſcapulæ ſinum collocatur (1.*fig. ABFH*) & ἀκρώμιον dicitur: aliud extrinſecus, in aſperum & inæquale caput (1.*fig.D.* 2.*E*) protuberat, in quod valida multaque ligamenta, humerum ſcapulæ nectentia, implantantur. Duos ſinus hæc humeri appendix habet: alterum in anteriori & poſteriori ſede patulũ & aſperum (1.*fig. GH.* 2. *G*) pro ligamentorum inſertione: alterum (1.*fig. HI*) externum caput in duo diuidit, in anterius (1.*fig. D*) & poſterius quod grandius (1.2.*fig. E*) propter muſculum cubitum flectentem exſculptus. Ima verò pars ad cubitum tuberculis (*P & S*) duobus donatur: altero exteriore (*P*) minore, quod vt & orbita cartilagine incruſtatum eſt: altero interiore (*S*) atque maiore,

qui

qui ambo ſinus habent: exterior quidem (2.*fig.R*) quarti nerui manum petentis gratia exſculptum: interior verò duos habet ſinus, vnum (1.*fig.T*) propter tertium manus neruum: alterum (2.*V*) propter quintum brachij neruum: quo loci humeri rotula (*KLM*) ad quam vlna flectitur & extenditur.

Huc faciunt figuræ vndecim, libri primi, capitis vigeſimiquarti.

C*VBITVS* duobus conſtat oſſibus, inuicem incumbētibus & coarticulatis. Horum inferius quod lõgius eſt (1. & 2. *fig. AB & tota figura* 5. & 6.) πῆχυς vlna, barbaris focile maius vocatur. Hoc in ſuperiori parte duos inſignis habet ꝓceſſus; vnꝰ anterior (1.2.5.11.*C*) & ſuperior q interior: alter poſterior (*D*) & craſſior, quem Hippoc. ἀγκῶνα, Galenus ὠλέκρανον, vocauit. In horum proceſſuum medio ſinus eſt magnus (1. 2. 5. *CDE*) humeri articulũ excipiens, qui à litera C ſimilitudine σιγμοειδῆ appellatur; qui & cartila-

cartilagine incrustatur. Sed & aspera processum sedes (11. *fig. CD*) vt validè ligamēta articulū ambiāt. Inferiori verò parti, appendix est (1.2.5.6.10.*Q*) qui sinum habet (10.*S*) cui cartilago, quæ vlnæ appendicem à brachiali dirimit (1.2.3.4.7.8.*T*) adnascitur. Huic processus etiam annectitur, qui στυλοειδὲς (1.2.5.6.10.*R*) dicitur.

Alterum verò cubiti os, quod superius & breuius (3. *&* 4. *fig.*) κερκὶς, radius, barbaris focile min⁹ nominatur: hoc humero iungitur & tenuis ex obliqua ceruice (1.2.3.4.*M*) in orbiculatum capitulum (3.4.9.*N*) porrigitur, quod vbi humerum spectat, sinum (9.*O*) rotundum habet, quem humeri caput subintrat. Hoc etiam paulò suprà ceruicem, processum habet (1.2.3.4.9.*q*) amplum & abruptum, cui tendo musculi flectentis anterior, inseritur. Sed & lineas diuersas habet, vt & vlnæ os, de quibus in peculiari ossium historia.

Hæc explicant libri primi, capitis 25. figuræ:

figuræ sex: & capitis 27, figuræ: & inter has, prima fig. cap. 25. internam oßiũ manus sedẽ proponit: secũda verò externã faciem ostendit: quatuor verò reliquæ huius capitis, duntaxat octo brachialis ossa varia facie exprimunt.

MANVS ossa succedunt, quorũ alia brachialis, alia postbrachialis, alia digitorum, alia denique sesamina sunt.

Brachiale seu κάρπος ossibus octo, duplici ordine distinctis constituitur (3. 4. 5. *&* 6. *fig.*) Hæc validissimis cartilagineisq; ligamẽtis obducuntur: hæc simùl constricta vnà duas superficies efformãt, exteriore regione gibba (4. *fig.*) interiore autem sinuata (3. *fig.*) & concaua. Quatuor in superiori brachialis ordine, qui cubitum spectant, repositi (*charact.* 1. 2. 3. 4 *notantur*) quatuor pariter inferiores (*charact.* 5 6 7 *&* 8 *notantur*) ordinis. Horum aliqua & sinus & processus vt quintũ (2. 3. 6. *P*) & octauum (2. 3. 6. *O*) habent; de quibus alibi.

Postbrachiale μετακάρπιον, id est,

ima palma, oſſibus quatuor Galeno, Ariſtoteli verò & Celſo quinq; conſtruitur (1 *& 2 figura cap. 25 I. II. III. IIII. inſcribuntur*) quæ infra qua digitis committuntur διάρθρωσι coniunguntur: ſupra verò, brachiali per συνάρθρωσιν Galeno coniunguntur. Sunt autem hæc oſſa reliquis digitorum oſſibus longiora & penè teretia: longiſſimum & craſſiſſimum indici præponitur, & ſic ſenſim breuiora & tenuiora fiunt. Hæc appēdices & ſuperius (2. *fig. Q*) & inferius (1 *ad fig. R*) obtinent: horum ſuperiores brachialis oſſibus, coarctantur: ſed & appendices cartilaginei ligamenti interuentu inuicem alligantur. Inferiores verò appendices oſſibus coaleſcunt, in rotundum & oblongum caput deſinentes, quod cartilagine obductum, primi digitorum oſſis ſinum ſubintrat: & hac licet ligamentis cartilagineis validè mutuò connectantur, non tamen adeò, vt ſuperiores iunguntur. Hęc tandem quatuor, interuallo dehiſcunt (1. 2

figura

figura S) quo musculi interossei locum habeant, in quolibet enim trium interuallorũ duo reponuntur musculi, de quibus suprá.

Digiti singuli ex ternis seriatim ac veluti in acie positis, cuius nomine φάλαγγες & σκυταλίδες dicũtur, ossibus constant: pollice excepto, qui Galeno tribus, (*1. & 2. fig. cap. 25. A B C pollicis ostendunt*) quibusdam verò (vnde discrepantia in numero ossium postbrachialis) duobus constat: si enim pluribus constarent, perfectam & validam extensionem, vitiarent. Si paucioribus, in tam varias figuras mouere nõ possemus. Verum primum cuiusque digiti os, secundo grandius, & crassitie & longitudine & latitudine: secundum verò, tertio maius est: hæc autem omnia, ad articulationem crassiora sunt. De horum articulatione alibi.

*Huc faciunt libri 1. capitis 28. figura & capitis 25. figura prima ad characteres N T V V X & X, & figura secunda 33. capitis, ad characteres μ. ψ ω & *: & figuræ*

totius sceleri ad libri 1. calcem positæ, ea enim hæc ossicula k notata, proponunt.

SESAMOIDEA tandē occurrunt ossicula, in digitorum iuncturis sita, quæ maxima ex parte tendinibus innascuntur, vnaq; tantū superficie lubrica cartilagine incrusta ta, alterius ossis lubricam sedē cōtingunt. Quæ facta videntur, vt sua duritie in quibusdam motibus, impetum ossis sustineant & excipiant, cui tendo tali ossiculo munitus, prætenditur: in simul etiam, ne cui præponuntur os facilè ex suo articulo recedat. Sed horum naturam, patella in genu exprimere videtur. Hæc in singulis manibus sunt duodecim: vnum tertio articuli nodo præpositū, duo in anteriori secundi pollicis (*vnum* 1. *fig. cap.* 25 *T. alterum* 2. *fig. T*) internodio: duo sed minora & cartilaginea in primis quatuor digitorum (1. *figur. cap.* 25. *V. V*) internodijs. In reliquis verò internodijs, secundo nimirum & tertio digitorum, aliud multo minus (1. *figura, cap.* 25 *X X*) & quasi prorsus

ſus cartilagineum, ſitu cum pollicis articulo reſpondens & tendini innatum, rarius tamen vnum, niſi in valdè ſenibus, reperiuntur, in quibus & inſigniora & quodammodo plura ſpectantur: in pueris enim adhuc cartilaginea ſunt, & in ſuis tendinibus non admodum conſpicua: hinc ferè in canibus & alijs quadrupedibus, quàm in homine, qui humidior eſt, ſeſe offerunt.

His adnumerare licet oſſiculum (1. 2 *fig. cap.* 25 *N*) quod ſubinde in manu conſpicitur, iuxta connexum poſtbrachialis oſſis paruum digitum ſuſtinentis, vel octauum brachialis os. Et hæc de oſſibus totius manus breuiter.

Hactenus de Manu.

LIBRI QVARTI
PARS ALTERA,

DE PEDE.
CAPVT PRIMVM.


LTIMA corporis pars venit explicãda, PES nimirum MAGNVS. Magnum pedẽ dicimus, totum id quod à natibus incipit, & in digitorum ſummos apices deſinit. Diuidimus autem cum Galeno, in Femur, tibiam & paruum pedem.


Pes minor rurſus in Pediũ, Tarſum & digitos ſubdiuiditur, de quibus in Partium externarũ hiſtoria.

Sed Pedis partes, alias dicimus continentes, alias contentas. Continẽtes, quatuor ſunt cõmunes, cuticula, cutis, pinguedo & panniculus carnoſus, de qb. in Abdominis hiſtoria: ad has, tunicã ſeu membranam inueſtientẽ & ſeparantem muſculos (niſi propriam dicere lubeat) referimus. Contentæ verò, ſunt vaſa, muſculi & oſſa. Vaſa, ſunt Venæ, Arteriæ & Nerui, quæ per Pedẽ diſſeminãtur. Muſculi verò ſunt quinquaginta, quorũ alij ſunt vel femoris, vel tibiæ, vel pedis, vel denique digitorum pedis, de quibus noſtro ordine. Oſſa ſunt octuaginta quatuor, quorum alia ſunt Femoris, a-

lia Tibiæ, alia Pedis extremi.

Huc refer tabellam.

DE MVSCVLIS



tur, ſuoq́; tendine in anteriorem tibiæ partem iuxta internũ latus, ſub genu inſeritur. Hic primus eſt, Veſalio, Columbo & Fallopio.

Flectentium ſecundus, ſeu gracilis (16 *tab.* Δ. 1 *p.* 2 *γ.* 3 ε. 4 *χ.* 5 *6.* 9 *γ.* 10 5) qui introrſum prędicto quoad

LTIMA corporis pars venit explicāda, PES nimirum MAGNVS. Magnum pedē dicimus, t[illegible]

[illegible]


ſa, muſculi & oſſa. Vaſa, ſunt Venæ, Arteriæ & Nerui, quæ per Pedē diſſeminātur. Muſculi verò ſunt quinquaginta, quorū alij ſunt vel femoris, vel tibiæ, vel pedis, vel denique digitorum pedis, de quibus noſtro ordine. Oſſa ſunt octuaginta quatuor, quorum alia ſunt Femoris, a-

Fold Out
BACK PAGE



Fold Out

FRONT PAGE





lia Tibiæ, alia Pedis extremi.

Huc refer tabellam.

DE MVSCVLIS Tibiæ.

CAPVT II.

TIBIAE musculi primo loco enarrandi, ſectionis ſerie ita expoſtulante. Mouetur autem tibia tribus motibus: flectitur enim & extenditur ſecundum rectitudinem, quamuis & obliquè verſus exteriora moueri videatur. Flectunt quinque, extendunt quatuor, vnus ſolùm obliquè mouet.

Flectentium primus, ſeu longus (3.*tab.*Σ 1 *o*.2 *q*.4 2.9 *α*. 16 *L*) quòd muſculorum tibiæ ſit longiſſimus, ab appendice interiore oſſis ilij acuto exortus principio, gracilis & carnoſus decuſſatim per femur fertur, ſuoq; tendine in anteriorem tibiæ partem iuxta internũ latus, ſub genu inſeritur. Hic primus eſt, Veſalio, Columbo & Fallopio.

Flectentium ſecundus, ſeu gracilis (16 *tab*. Δ. 1 *p*.2 *γ*.3 *ε*.4 *χ*.5 6.9 *γ*. 10 5) qui introrſum prędicto quoad

ventrem adiacet, amplo & nerueo principio ad pubis oſſis commiſſuram enatus, perq́; femoris interiora vſq; ad genu carnoſus delatus, in tibiam exacto tendine ſub genu, penes primum paulò tamen interius, inſeritur. Hic ſecũdus eſt, prædictis.

Flectentium tertius, ſeu ſeminer-uoſus (10 *tab.* Φ 2 β. 9 *t.* 11 ς. 16 *R*) à ſede infima coxendicis gracilis neruoſus oritur, dein carneus euadẽs, perque femoris poſteriora deſcendens mox reflexus in anteriorem tibiæ partem tereti tendine vbi & prædicti duo, inſeritur. Hic tertius eſt, prædictis.

Flectentium quartus ſeu Biceps (10 *tab.* Ψ. 1 *u*. 2 *α*. 6. χ ψ. 11 π ϱ. 12 μ ν) ex eodem loco cum carneo, tum nerueo principio oritur, ac per femoris poſteriora, exterioraq́; deſcendens (ad cuius medium nerueus apparet) ad femoris medium carneam (11 *tab.* ϱ) portionem (vnde pro vno vel duobus numerari poteſt) recipit, quæ cum muſculo iuncta in tendinem inſignem finit, qui

in os

in os fibulæ implantatur. Hic quartus est, prædictis.

Flectentium quintus, seu semimẽbraneus (11. *tab.* Ψ. 2 δδ. 9 *u*. 10 ϖϖ. 12 ξ) à coxendicis ossis appendice acuto & neruoso principio inter quarti & tertij capita oritur, ac ad medium femur carnosus fit, & tereti tendine in internũ tibiæ latus, vbi & tres priores, inseritur. Huic sinus liuidus insculptus, quo tertium musculũ recipiat. Hic quintus est, prædictis. Hi quinq; Tibiam flectunt.

Extendentium, primus, seu Membranosus (3. *tab.* Φ. 1 *q*. 2 *r*. 43. 9 *p*) qui sextus est Vesalio, Colũbo & Fallopio: à latere externo primi musculi, à spina ossis ilij principium acutum ducit ac exteriorem mediam femoris partem cum sequenti implet, qui descendens iuxta femoris maiorem processum, in longissimum & latissimum tendinẽ (quo in vniuerso corpore maior non est) abit, qui cũ tendinibus sequentium musculorũ miscetur & in anteriorem tibiæ sedem inseritur. Hic suo tendine omnes fe-

rè femoris musculos, præsertim parte posteriore, cutis instar circumdat.

Extendentium secundus, seu Vastus internus (5.*tab*.Λ.1 *r*.2 *t*.4 ω.6 Φ.9 *r*.10 μ.11 ε.12 θ.) qui septimus est, ab externo femoris latere nerueus oritur, octauo insternitur, suoq́; tendine cum tendinibus octaui & noni commixtus, ad latus patellum extrinsecus descendit, & in anteriorē tibiæ sedem inseritur.

Extendentiū tertius, seu Vastus externus (5.*tab*. Ξ.6 Π.1 *t*.2 η.4 ψ.7 γ.8 *l*.10.& 11 τ.12 κ.13 δδ.16 *Q*.) qui octauus est, à ceruice femoris nerueus, & à radice magni processus, oritur: huius pars inferior carnosa iuxta primi musculi partem inferiorem & noni musculi tendinem apparet: cuius altera pars (quā aliqui distinctum faciētes musculum Crureum vocant) ipsi nono subiacet, & ad internum femoris latus, quasi in carneum semicirculum, prope patellā extuberat, & valido tendine patellā occupat. Inter huius musculi binas partes sinus (in quē nonus inseritur)

ritur) conſpicitur, ita vt quaſi diuidi quod parte media fit) videatur.

Extendẽtium quartus, ſeu Rectus (4. *tab* Φ. 5. ς. 1 ʃ. 3 α. 9 γ. 16 *P.*) qui nonus & primo extrorſum adiacet, & ilium oſſis regione parte anteriore ſuper coxendicis articulũ, nerueo & acuto principio exoritur, & per femoris longitudinẽ delatus tendine ſuo lõgiſſimo & fortiſſimo, ſeptimi & octaui muſculi tendinib. permixto, patellã integit, inq; tibiam inſeritur. Hic eſt qui lacertæ formã refert, & à quo totius corporis muſculi nomen ſortiuntur, quoq; læſo neceſſariò moriendum ſtatuunt.

Obliquè verſus exteriora mouet Popliteus (14. *tab.* Γ. 13 ηη. 15 *C.*) quẽ Veſalius & Fallopius, in poplite occultatũ vocãt: Colũbus verò, decimũ tibiæ dicit muſculũ. Hic propè femoris caput externũ prodit, & ſub ligamento delatus, oſſiq; tibiæ obliquè ſuperuectus poſteriori interioriq; parti, articulo carnoſus inſeritur, quem Galenus pręcipuum tibię flexionis authorem eſſe dicit.

DE MVSCVLIS Femoris.

CAPVT III.

FEMORIS musculi tibiæ musculis subiacent, quos pleriq; Anatomici decimum numero proposuêre etsi plures si quis velit numerare possit, quibus femur extenditur, flectitur, circumagitur, intrò, forasq́;, fertur. Extēditur nobis stantibus, ac deorsum inq́; posteriora id deducentibus, idque musculorum quinque beneficio, qui parte posteriore siti sunt. Flectitur verò, quando sursum, antrorsumq́; tollimus, quod musculis tribus parte anteriore sitis, perficitur. Circumagunt tandem duo.

Extendentium primus seu natiū author primus (9. *tab*. II. 2 *u*. 10 *x*) qui nates cōstituit, sub summa cute carnosus, semicircularis existit, à dimidia ossis ilij appendice, osse sacro & coccyge latus & carnosus exoritur, ac obliquè descendens articulum superuectus, valido & lato tendine

obliquè partem exteriorem adit & in maiorem femoris processum inseritur, vt femur reuellat, & in neutrã partem declinãs, extendat: quod si vnam tantùm sui partem tendat, nõ ita æqualiter agit. Hic primus est Vesalio, Columbo & Fallopio.

Extendentiũ, seu natium author secũdus (10. *tab.* Σ. 2 γ. 4 μ. 5 ς. 90. 11 δ) sub primo, cui similis sed minor situs, liuescẽs à regione anteriore spinæ ilium lato ac carnoso principio oritur, ac obliquè delatus suo valido & membraneo tendine, magno femoris processui implãtatur, ut femur extendat, sursumq; versus exteriora trahat: huiusq; fibræ cum prioris fibris decussionem faciunt. Hic prædictis secundus est.

Extendentium, seu natium author tertius (11. *tab.* Σ. 6 υ. 12 *t*) secundo subiacet & minor, ab osse ilij principio carnoso & semicirculari oritur, qui deorsum in priora declinans fibrosis nexibus, ligamentis articuli coxẽdicis hæret: hic suo tendine lato ac robusto, parte anteriori maiori

iori femoris processui implantatur, vt modicè sursum trahendo femur tendat: Hic, prædictis est tertius.

IV. Extendentiũ quartus seu iliacus externus (11. *tab.* Φ) qui inferiorẽ & exteriorẽ ossis ilij cauitatẽ quasi totus teres ac liuidus, situ obliquo implet, à tribus inferioribus ossis sacri vertebris carnosus oritur & tereti tẽdine obliquè in parte posteriore, in maximum femoris caput implantatur: vt femur modicè sursum trahendo extendat, & eius circumactioni sit auxilio. Huic Galenus diuersum exortum assignauit, & id fortè propter lineam, quæ in medio conspicitur. Hic, prædictis quartus est.

V. Extendentiũ quintus seu Triceps (12. *et* 13. *tab.* ΞΣΠ Π. 2 ε. 5 ω. 6 ϛ. 7 β. 8 Φ. 9 χ. 10 ϱ. 11 &) omnium maximus triplici quasi principio, eoque partim nerueo, partim carneo, à linea ossis coxẽdicis inferiore & osse pubis oritur, radicem parui rotatoris amplectitur, perque longitudinem femoris vsq; ad flexuram genu defer-

desertur ac in asperam femoris lineam inseritur. Hic propter varias fibras, pro pluribus musculis ostendi potest, & pro earũ diuersitate femur adducendo erigit, stabilit & femori superimponit: hunc octauum fecit Columbus: Vesalius verò & Fallopius, quartum. Et hi parte posteriore siti sunt.

VI. Flectentium primus, qui Lumbalis (8. *tab*. Θ. 4 *c*. 5 χ. 6 ϖ. 7 *t*. 13 β. 14 *c*. 16 κ) quem ψόας vocauit Hippoc. & Galenus, in abdomine situs ab inferioribus thoracis, & superioribus lumborũ vertebris carneus oritur, ac supra pubis os aliquantum obliquè delatus, tendine suo valido ac tereti in minorem femoris processum inseritur, ut femur introrsum agendo flectat. Hic quintus est Columbo: Vesalio verò & Fallopio, sextus.

VII. Flectentiũ secundus seu Iliacus internus (8. *tab*. Λ. 3. & 63 γ. 4 ς. 5 Φ. 60. 7 Χ. 14 *d*) eodem loco situs, totam interiorẽ ossis ilij cauitatẽ occupat, à qua semicircularis ortus, in

minorem

minorē femoris processum rotundo tendine implantatur. Hic sextus est Columbo: Vesalio verò & Fallopio, septimus, & eiusdem cum prædicto muneris.

IIX. Flectentium tertius (8.*tab*.Σ. 1 *m*.3 δ.4 ν.5 ψ.6 ρ.7 *a*) ab osse pubis & coxēdicis enatus, obliquè ad posteriora deorsum inter quintū musculum (ut eius portio censeri possit) fertur, suoq; tendine amplo & breui, interiori lateri ossis femoris inseritur, eum vt flectat & introrsum validè ducat, femoriq; imponat. Hic septimus est Columbo: Vesalio & Fallopio, octauus.

IX. Circumagentium primus, seu Obturator externus (8.*tab*.Ψ.13 *a*. 14 *e*) prædicto subiacet, totumq; foramen quod in pubis & coxendicis osse consistit, parte externa opplet, qui carnosus transuersim fertur, validoq; tendine in magni processus femoris sinum implantatur, quo femur introrsum circumagat & vertat. Hic Vesalio, Columbo & Fallopio, etiam nonus est.

X. Cir-

X. Circumagentium secũdus, seu Obturator internus (10.*tab*.Σ.11 θ. 12 α.13 *r*.16 *FGH*) dicti foraminis internam partem totam, carnosus latusq; inde exortus occupat: qui supra coxẽdicem extrorsum trochleæ instar reflectitur: tribus quandoque quatuor & etiam quinq; tendinibus, in reflexu (16 *EFG*) adauctus tandem ijs vnitis, vnico tẽdine neruco in posteriorem magni processus sinum, vt femur circumagat, inseritur. Hic Vesalio, Colũbo & Fallopio etiam decimus est.

Hoc loco naturę prouidentia notanda, quę carneum marsupium parauit, in quo musculi huius tendinẽ ne ab ossis duritie læderetur, collocauit: hoc Vesalius ꝑ musculis duobus, enumerat: vnum parte superiore (1.*tab.n*.12 β.13 *x.fig*.4) ab acuto coxẽdicis ossis processu exortũ, vnde Tibiæ flectentes prodeũt. Alterũ parte nõ ferire (11.*tab.x*.12 γ.13 *z*. 14 *g*) ab appendice ossis coxendicis pronatũ, qui ad maiorẽ, rotatorem parte inferiore inseritur: hãc portio-

nem aliqui pro vndecimo femoris musculo recensent. Vesalius verò carneas portiones, decimo musculo attensas nominat. Hac ratione duodecim musculi cõstitui possunt: quod si & quintum in tres diuiserimus, tum quatuordecim musculos habebimus.

Arantius duos dicit musculos addendos, qui orbiculari motui famulentur: quorum primus, ab Ischio sit exortus, vnde tibiæ flectentes prodeunt. Alterum verò sub hoc latitare, qui ab anteriore ossis pubis regione, qua foramine peruium est, oppositam habet figuram ligamentali membrana distinctam, carneo ac penè cubiculari principio præditus, qui in validum ac teretem tendinem degeneret & per semicirculum ad exteriorem femoris partem circumductus, vnà cum decimo & vndecimo, circulari femoris motui præficiatur.

DE

DE MVSCVLIS pedis.

CAPVT IIII.

PES extenditur, flectitur & ad latera octo musculorum in tibia sitorũ beneficio, mouetur: quorum illi qui extendunt, parte posteriore: qui verò flectunt, parte anteriore locantur.

Posteriorum, seu extendentium primus, qui Gastrochimius internus, ab interno femoris (12.*tabul.* Φ.1 θ.2 λ.3 ϱ.8 *p*.9 ε.13 τ.14 *n*.16 *a*) capite ad genu carnosus & angustus oritur, mox carnosior latiorq́; redditus, circa mediam tibiæ partẽ, postquam internã suræ partem efformauit, angustior redditus in latũ tendinẽ desinit & calci cũ duobus sequẽtibus vnitus, inseritur. Hic primus est Vesal. Colũbo & Fallopio.

Secundus, seu Gastrocnimius externus, ab externo femoris (12.*tab.* Ψ.1 κ.2 μ.416 *char.*σ 9.9 ζ.13 τ.14 ϱ.16 *b*) capite prodit, prioriq́; similis, cũ quo ad tibiæ medium vnitur, qui vbi externã surę partem efformauit,

in tendinẽ desinit, qui alterius tendini ita cõmiscetur, vt vnus musculus esse videatur. Nõ procul ab horũ exortu, singula Sesamina ossicula ad horũ robur innascuntur. Hi, quos Syluius gemellos vocat, unà cum quarto calcẽ sursum ad posteriora trahunt, pedemq; in terrã figunt, seu in posteriora deorsum reflectũt. Hic secund⁹ est Ves. Colũbo & Fallopio.

Tertius, seu Plantaris (13. *tab*. Φ. 1 *i*. 2 *γ*. 3 *r*. 8 *ſ*. 9 *μ*. 12 *ω*. 14 *pr*. 16 *c*) sub duobus priorib. latitat: hic gracilis, carneo & angusto principio ab externo femoris capite prodit, carnosaq; parte exiguus, mox sub poplite in longissimũ & valdè tenuẽ nerueum tendinẽ desinit & calci interno implantatur, quibusdã tamen in plantæ totam cutim, vt Palmaris in manu, absumitur: quibusdam tamẽ hic deesse dicitur vt & Palmaris, tũq; tendo huius, à vicinis tendonibus ac membranis sufficitur. Hic, pedem introrsum vertit & tertius est Vesalio, Columbo & Fallopio.

Quartus, siue Soleus (13. *tab*. Ψ. 1

χ. 2

κ.2 *ξ*.35.8 *t*.14 *q*.16 *d*) inter pedis musculos crassissimus est & prædictis subiacet. Hic nerueus à posteriore fibulæ parte oritur, crassiorq́; factus, tandem circa mediam tibiã in robustissimum tendinem degenerat & cum primi & secundi tendine vnitus, calcis parte posteriori implantatur, vt pedem extendat & terræ firmet, estq́; quartus Vesalio, Columbo & Fallopio.

Quintus, seu Tibiæus posticus (15.*tab*.*D E c*.1 *μ*.2 *ϱ*.3 *φ*.8 *x*.14 *n*.16 *f*) inter fibulam & tibiæ os vnde carnosus enascitur, situs est, & carnosus ad extremam tibiam descendens, tereti & nerueo tendine per sinum in tibia exsculptum prope internum malleolum prorepens, in pedis inferiora subit & in tarsi os quod cubiformi vicinum, inseritur, vt pedem introrsum trahat: quamuis & interdum in posteriora ducat, vt summis tantùm digitis inniti queamus, estq́; quintus Vesalio, Columbo & Fallopio.

Hi quinque musculi, qui omnes

ad extenſionem facere videntur, in tibiæ parte poſteriore ſiti ſunt, vti & ſecundus & tertius digitorum flexor, de quibus poſtea.

Anteriorum, ſeu flectentium primus, quem Tibęũ anticum dicamus (3.*tab*.Ψ.1 ζ.2 Φ.4 *char*.4.16 *c*) oſſi tibiæ adhæret & iuxta fibulam prodit, qui infra tibiæ mediũ anguſtatus, in teretem & nerueum tendinem deſinit, per tarſum ſuperiorem ſub ligamento (quod ab appendice inferiore tibiæ fibulæq́; prodit) delatus, in os pedij pollici præpoſito, inſeritur vt extremũ pedẽ flectat, & anterius ſurſũ trahat. Hic Veſalio & Fallopio, ſextus eſt pedis muſculus: Colũbo verò, primus anterior pedis muſculus ſeu octauus pedis muſculus.

Anteriorũ ſecũdus, ſeu Peronæus primꝰ (6.*tab*.Φ.1 ζ.2 χ.3 λ.4 *char*.17. 5.*char*.8.8 *.9 η.13.ξ.14 *k*.15 *V*) extrinſecus à ſuperiori fibulæ appẽdice, carneus nerueusq́; enatus, carnoſus redditus in longũ & teretẽ tẽdinẽ deſinit, qui per fiſſuram quã malleolus externus conſtituit, pertranſit, & ſub planta in os pedij è regio-

ne pollicis, inseritur: licet aliquādo in radicē pedij ossis, medio digito subiecto inseratur. Hic pedē ad exteriora ducit, eūq; flectit, & est Vesalio & Fallopio septimus: Colūbo verò, quartus musculus anterior pedis, seu pedis musculus vndecimus.

Anteriorū tertius, seu Peronęus secūdus (*2.tab.ψ.4.char.15.5 char.9.6 Ψ.9 θ.13 v.14 l.m.15. a sub V ad. b.*) qui cū prædicto vnus esse videtur, à fibula oblōgo exortu prodit, & carnosus ad exteriorē & inferiorē malleoli partē tereti tendine, ante ipsius insertionē nōnihil bicorni, in os pedij, quod minimo digito præponitur, abit vt pedē extrorsum ducat & flectat. Hic octauus est, Vesalio & Fallopio. Colūbo verò, quintus anterior, seu 12 pedis musculus.

Hi tres parte anteriore siti sunt (vt est nonus pedis musculus Vesalij & decimusquartus digitorum musculus, de quibus postea) & flexionis authores existūt, qui si simùl agant, pedem sursum ad tibiæ interiora flectunt: si verò alternatim cum mu-

sculis parte posteriore sitis contrahantur in hoc illudúe latus pedem agunt: Quod si verò omnes enarrati pedis musculi, in actione conueniant, tum pes humo affigitur.

Nouum quendam musculum in pede, Excel. Iulium Placentinum, insignem Patauij Anatomicum, inuenisse audio, de quo quod dicam, non habeo.

DE DIGITORVM Pedis musculis.

CAPVT V.

MVSCVLI Pedis digitis deseruiẽtes, viginti duo sunt: quorum alij extendunt, alij flectunt, alij verò abducunt: horum autem alij in tibia, idq́; eius parte vel anteriore, vel posteriore: alij verò, in extremo pede siti sunt.

I. Extendentium primus, seu Pollicem tensor (5. *tab.* Φ. 1 γ. 2 Θ. 3 μ. 4 *char.* 14. 6 *char.* 7) carnosus à media fibula prodit, ac suo tereti tendine sub transuerso ligamento delatus,

latus, in totum pollicem parte superiore inseritur, vt eum extendat. Hic Vesalio & Fallopio, 15 digitorũ pedis musculus: Colũbo, anteriorũ extremo pedi deseruientium musculorũ tertius. Verum huius etiam tendo aliquando diuiditur, quorũ alter in vltimũ pollicis articulum: alter, verò in os pedij, vt eum flectat inseritur, hicq; in quibusdam corporibus distinctus musculus esse videtur.

II. Extendentium secundus, seu Digitorum tensor (*4 tab.* Ψ. 1 α. 2 ω. 3 ν. 5 Ω) à tibiæ appendice acuto initio exit, qui ligamento adhærens ad fibulæ finem sub ligamento, in quatuor teretes tẽdines desinit: quorũ primus, in pedij medio in duos alios tendines diuiditur, quorũ alter ad secundum, alter ad tertium digitum abit. Secundus verò, ad quartum digitum. Tertius & quartus ad minimum digitum, per totam eorũ longitudinẽ exporrecti atq; inserti, vt digitos extendant. Hic Vesalio & Fallopio 14 digitorum pedis mu-

sculus: Colūbo verò, anteriorū extremo pedi deseruientium secūdus. Verùm hic in medio versus pedem descensu carnosam (4.*tab*.Ω) quandam portionem ab externo latere diffundit, quæ deorsum lata, nonū pedis musculum (4 *tab*.Ω 1.β) Vesalij constituit.

Hi duo in anteriore tibiæ parte, quemadmodum sequentes duo, in posteriore siti sunt.

III. Flectentiū primus, seu digitorū flexor magnus (14 *tab*.Z. 15 *P*) tibęo postico adiacet & à posteriore tibia carnosus exorit̃ teriti tēdine, q sub interno malleolo incedit, & sub calce ligamēto à tibię appēdice exorto, donatur. Huius tēdo, sub plāta in quatuor tendines diuiditur, qui p flectentium tertiū per teretes tendines pertransiens, in quatuor digitorū tertiū articulum inseruntur, vt quatuor digitorū tertiū articulum, flectant & validè adstringāt. Hic Vesalio & Fallopio, tertius est digitorū musculus: Colūbo verò, sextus extremi pedis in tibia siti musculus.

IV. Flecten-

IV. Flectentium ſecundus, ſeu Pollicem flexor (14 Λ. 15 *O*) prioris tendini ſubiacens, carnoſus à fibula prodit & ad calcem in teretem tendinem abit, qui ſub malleolo & ligamento, ſubque planta progrediens in os pollicis, eum vt flectat, inſeritur. Hic Veſalio & Fallopio, digitorum muſculus ſecundus eſt: Columbo verò, ſeptimus extremi pedis in tibia ſiti muſculus.

V. Flectentium tertius, ſeu digitorum flexor alter (14 *tab.* ⊖) ſub media planta ſitus, à calce nerueo carnoſoq; principio mixto oritur, qui verſus digitos dilatatus in quatuor teretes tendines perforatos diuiditur, qui in ſecundū quatuor digitorum os inſeruntur, vt ſecundū articulum flectant. Hic Veſalio, Fallopio & Columbo, primus digitorum muſculus eſt.

His Anatomica methodo, muſculi digitos abducentes interiacēt.

VI. Abductor pollicis inferior, qui prędicto adiacet (1 & 3 *tab.* ξ. 2 ɛ. 6 ℵ. 7 ε. 13 ς. 14 *t*) à calcis parte

interiore

interiore carnosus exoritur tendineq; suo in primum pollicis os implantatur, vt pollicem ab alijs digitis abducat. Hic Vesalio & Fallopio, 18. est digitorũ musculus: Colũbo verò, secundus digitorũ musculus.

VII. Abductor minimi digiti inferior (2 *tab*. Π. 9 λ. 13 ς.) à calce etiã, sed parte exteriore carnosus exort⁹, ossi pedis minimo digito præposito affigitur: tandem, in primũ os minimi digiti lateri externo, implãtatur, vt eã à reliquis digitis abducat. Hic Vesalio & Fallopio, 17. est digitorũ musculus: Columbo verò, tertius digitorum musculus.

Hiq; tres à crasso & lato tendine (13 *tab*. ϖ. 14 ʃ) vti in vola manus fiebat, integuntur: quem Galenus & alij quidã, vt præcedenti capite ex eorũ sententia monuimus, tertij pedis extremi musculi tendo cẽsetur.

VIII. IX. X. XI. Quatuor lumbricales succedunt (14 *tab*. λ. μ. 15 *N*) qui sub pedis planta à tendinibus musculi perforantis, seu flectentiũ primo exorti, teretes ac parui (vt & in ma-

in manu) lateribus digitorum applicãtur,vt ad latera articulum moueãt:alijs volentib.digitos quatuor à pollice auellere:alijs verò, horum mun⁹ eſt,digitos rectà extẽdere.Hi, roboris gratia carnoſam portionẽ p̃dictis trib. ſubiacentẽ,obtinuêre. Hos Veſalius pro 19.20.21.&22. enumerauit.Colũbo, quatuor muſculi pedis digitis inſeruientes, inter tertium & ſeptimum enumerati:Fallopio, quatuor in pedis planta muſculi,quos poſtremo enarrat.

XII. Abductor digitorũ ſuperior (5 *tab*.Ψ.6 Ω.1 ϖ.4 *char*. 17.7 ♌) in ſuperiore extremi pedis ſede locatus, carnoſus à tarſo oritur & in teretes tendines,modò quatuor,modò quinq; abit, qui in digitos omnes parte externa inſeritur, vt illos ad latera moueat & ad lat⁹ externũ abducat. Quando verò quatuor tãtùm habet tendines, tum minimi digiti tendo, à tertio muſculo externo pedis oritur, quamuis abductor minimi digiti inferior, huic officio ſatisfacere poſſit.Huic Veſalio

&

& Fallopio 16. eſt: Columbo verò, poſtremus ſeu 18. pedis muſculus.

Interoſſei decem his ſuccedunt, qui ad Flexores referēdi: hi in planta cōſiſtentes (15 *tab. L. dein O*) à pedij oſſib. enati, ſpacia interoſſea (vt in Metacarpo fiebat) opplent, & in quinq; digitorū radicem implantātur, ad quemlibet digitum duobus miſſis, idque vt primum digitorum articulum flectant, dum duo ſimùl agunt: & ad latera, dum alter ſolus agit, ducant. Hos Veſalius inter tertium & decimumquartum locauit: Columbus verò, inter ſeptimum & decimumoctauum, ſeu decem muſculos in plantæ oſſibus: Fallopius autem, plantæ muſculos decem, dixit.

Horum tendinibus breuibus & latiuſculis, maxima corporis noſtri oſſicula Seſamina, innaſcuntur, qui ad muſculorum robur faciunt.

DE

DE VASIS PEDIS totius & primùm

DE VENIS,

CAPVT VI.

CVM libro primo de venæ cauę in Abdomine diuiſione, deq; eius ramis per abdomen diſſeminatis, ſit dictum, nunc de vena quæ per vtrumq; Pedem diſſeminatur, quam Cruralem vocare liceat, de cuius ramis breuibus.

Huc refer integram venæ cauæ delineationẽ, quæ habetur libro tertio cap. ſexto.

VENA caua ſecundũ coxendicẽ in femur abiens, aliquouſq; venas duas ad Crus mittit: graciliorem (*ει*) per pubis foramen (ad interioris femoris muſculos) ad medium (*ad* ϗ) femoris: alteram craſſiorem q̃ venarũ cruris trũcus eſt (*truncus notatur* Θ *&* Ω) & *CRVRALIS* dicitur; ab hac prodeunt vtrinq; rami ſex.

I. Saphæna, ſeu Malleoli (Θ) ab interno latere orta, per internam tibię partem, inter cutim & panniculum, per genu verſus malleolum internũ delata,

delata, in pedis superiora variè diuiditur, alijsq; surculis eò missis commiscetur. Huius rami quatuor in cutim: primus qui duplex, ramo interno (Λ) ad femoris interiora, inguina & perinæum: ramo exteriore (Ξ) & maiore, in cutim exteriorẽ femoris: 2. ad mediũ (ΘΓ) cruris: 3. ad genu (Σ) parte vna in molam, altera in poplitem, quę cũ poplitis vena (*char.* 6) solito est maior, deest: 4. ad medium (Φ *ad* Ψ *vsq;*) tibiæ antrorsum & retrorsum, cuius ramuli cũ proximo coëunt, rursusq; dirimuntur.

II. Ischias minor (Ω) è regione prædictæ extrorsum in anteriorem articuli coxendicis cutim & eius loci musculos distribuitur.

His cõstitutis, inter musculos femoris os amplexantes immergitur, vnde prodit

III. Muscula (*char.* 1.) ramus insignis, ꝗ geminus: minor tibię musculis extendentib. secundo & quarto, & in cutim surculos deriuat: maior (*char.* 2.) qui ꝓfundior, surculos per quintum femoris & tertium extendentem

dentem tibiam musculũ & omnes ferè femoris musculos dispergit: & tandem huius portionem finibus hypogastricæ (*ei*) per pubis foramẽ ad genu inter musculos descendit.

IV. Poplitia, ex duobus ramis (*char.* 3.4) cruralis vnitis conflata, ramulos sursum in cutim (*char.*5) posterius mittit: dein rectà per medium poplitem delapsa, ad suræ cutim(*char.*6) ramulis plurimis (*char.* 7)descendit: aliquando ad calcem vsque descendit, aliquãdo in pedis latus externum ad malleolum, superiorem ipsius cutim, aliquando & in inferiorem excurrit.

V. Suralis: grandis enim cruris vena posteriori sede accumbens, exiguam sobolem vtrinq; (*ad char.*) 8.*vtrinq;*) in trium suræ musculorũ exortus mittit, in quorum capitum penè medio(*ad char.*8) in duos trũcos abit:alterum exteriorẽ (*char.*9) graciliorem:alterum(*char.*14.)interiorem, qui in cutim tibiæ & pedis interni abeunt:dein circa malleolũ externum reflexa latus internũ pe-

dis & cutim pollicis, rariùs alios digitos adit. Ab his varius ille venarũ implexus in ſuperiori pedis ſede & digitis ſub cutę conſpicuus, nec ſibi ſemper in eiuſdem hominis pedę reſpondens.

VI. Iſchias maior (*char.* 17) portione maiore per ſuræ. muſculos delata, in ſurculos decem abſumitur, ſingulis ſcilicet digitis binis: minore, inter peronem & calcem abſumpto. Interdum, perforato medio ligamento (*char.* 18) in muſculum digitum pedis abducentem & cutim abſumitur. Quod interioris (*char.* 14) reliquum eſt (*char.* 19) inter dictos muſculos poſterius porrigitur & in multos ramulos ſeriatim abſumitur, quorum ferè bini infernam cuiuſq; digiti ſedem perreptant; aliquando tamen minimo digito quinq;, medico duos, medio vnum ſurculum largitur, & tunc à priori portione, tantùm ſunt quinq; in maiores digitos.

DE ARTERIIS PEDIS.

CAPVT VII.

Huc refer, Arteriarum, tabulam, quæ est libro tertio, capite duodecimo.

ARTERIA Hipogaſtrica dicta antequam foramen pubis trã-ſeat(*accedit ad ς*) ramũ aſſumit ab ipſo externo trunco diuiſionis factæ ſupra os ſacrum, vbi cùm in Crus abitura eſt, ita aucta per pubis foramẽ labitur & in eius loci muſculos diſpergitur : mox infra femoris mediũ delata cũ altera arteria (ψ) à crurali pronata, ſuo fine (*ω*) coit.

Arteria ergô, ramis in libro 1. capite 16. ꝓpoſitis vbi de ſe miſit, extra peritonæum exiguos ramulos (*v*)ad pubis oſſis commiſſuram miſſis, vtrinq; in Crus abit & CRVRALES(φ)cõſtituit. À qua, prodeunt rami aliquot.

I. Arteria muſcula, cuius ramus alter externus(χ)in anteriores:alter internus (ψ) in interiores femoris muſculos abſumitur, hicq; ad genu vſq; demiſſus, arteriæ hypogaſtricæ (ς) in extremo ramulũ(*ω*) cõmiſcet.

 II. Popli-

II. Poplitea: dein truncus posteriora deorſum perreptans, venam cruralẽ ſub poplite comitatur, ibique propaginem (Γ) producit, in muſculos poſteriores femoris excurrentes.

III. Suralis: in ipſo poplite latitans truncus, vtrinque propaginem (ΔΔ) emittit profundam, vt partim in genu articulo, partim in tres muſculos (φ ψ ω) pedis abſumatur.

IV. Hinc caudex tibiam *(Θ)* ſubit & extrinſecus inſignem ramũ (Λ) ſecundum fibulam demittit qui in muſculos in tibia ſitos (14 *tab. muſc. k. l.*) internæ abſumatur.

V. Sub hac, truncus duos alios ramos emittit: horũ interior altior (Σ) ramulum tibiæ articulo immiſſo, deſcendit vſq; ad cõmixtionem (13 *muſc. tab. κ*) tendinum muſculorum duorum pedis cũ quarto: alter exterior & inferior (Π) per membraneum ligamentum tibiæ fibulam colligans anterius excurrit & pedis ſuperiora (Φ) per tranſuerſum ligamẽtum accedit, qua parte plerumque

ipſius

ipsi⁹ motũ tactu deprehẽdere licet.
VI. Reliquum deniq; *CRVRALIS* caudicis *(Ξ)* inter secundum & tertium digitorũ pedis musculorũ tendines, rectà deorsum inter calcẽ & malleolum interiorem pedẽ subit, ramulum interiori pedis parti *(Ψ)* offerens: reliquum (Ω) inter triũ musculorũ digitorũ pedis tendines in ramulos duos secatur, quorum quilibet in surculos quinq; absumitur: interior enim duos pollici, duos indici, vnum medio: exterior verò duos minimo, duos medico, & vnũ medio, largitur.

DE NERVIS pedis.

CAPVT IIX.

Huc refer figuram secundam & vltimã libri quarti.

NERVI qui iuxta cruris initium in femur, totumq; pedem decurrunt, ex tribus inferioribus paribus lumborum & quatuor superioribus ossis sacri, à spinali medulla exoriũtur, qui statim in exortu miscentur & reticulari quodam-

modo plexui procedentes in quatuor præcipuos neruos vtrinq; exeunt: horum primus & tertius graciles sunt: secundus autem, illis duobus subinde crassior: quartus verò, illorum trium vna complexorum crassitiem longè vincit.

Primus & summus (2. *fig. charact.* 57. *vlt. fig.* &) sub peritonæo ad paruum rotatorem descendens in musculis cruris & cutim antequam genu attingant, absumitur.

Secundus & inferior (2 *fig. char.* 60. *vlt. fig.* γ) sub peritonæo cum vena & arteria crurali, per inguina in crus abit, ramũq; insignẽ ab interno latere (2 *fig. char.* 61. *vlt. fig.* δδ)) cũ vena saphena ad pedẽ (2 *fig. char.* 62) vsq; iuxta malleolũ descendens (qđ propter sectionem venæ sub genu, & malleoli internę notandum, ne scalpellum antrorsum actũ, neruũ præsecet) demittit. Portio verò grãdior (2 *fig. char.* 64. *vlt. fig.* ε) cum vena & arteria profunda in internos, cruris musculos, supra genu, vt & prior, cessat: in progressu tamen

membra-

membranulis vasa colligantibus, soboles exiguas largitur.

Tertius, his inferior (2 *fig. char.* 66. *vlt. fig.* ζ) potissimũ enatus vbi quarta lumborum vertebra quintæ articulatur, hic peritonęo succumbẽs, superioribus femoris musculis vt & penis ramulos, & paulò inferiùs cuti internæ femoris iuxta inguina (2 *fig. char.* 68. *vlt. fig.* η) ramulum impertit. Dein reliquum (2 *fig. char.* 69. *vlt. fig.* θ) in vicinos musculos, supra cruris medium absumitur.

Quartus dicto ortu subsequitur (2. 3 *fig. char.* 71. *vlt. fig.* ι) qui omniũ corporis neruorũ crassissimus, durissimus, validissimus, siccissimus, ex quatuor superioris paribus ossis sacri ortus, sub peritonæo inter ossis sacri latus & ilium os, tanquam per sinum ipsi peculiarem (2. 3 *fig. cap.* 29 *lib.* 1. *c*) delatus, ramulos varios ad capita musculorum propinquorũ, cuti natium & cruris vicini: dein, vsque ad genu in sinu quem duo inferiora femoris capita efficiunt, poplite nimirum bipartitur

 (10. *musc.*

(10.*musc. tab. θ. η.*) in truncos crassitie inæquales, qui in totam tibiam & pedem distribuitur, præter partem internam à secundo pari (*2. figura charact. 61.*) intertexam, cuius tamen vices & quarti ramus aliquando subit. Exterior quidem qui gracilior (*2. figur. charact. 77. vlt. fig. ϖ*) secundum fibulam exterioremque malleolum delapsus, in pedem superiorem digitis singulis binos dat surculos: interior verò & maior (*2. fig. char. 82. vlt. fig. ϱ*) secundū internā tibię sedem ad internum malleolum ad pollicem & plantam delabitur, digitis singulis quoque binis datis surculis. Sed ambo hi rami, musculorum capitibus & cuti tibiæ & pedis, surculos etiam suos obiter largiuntur.

DE TOTIVS PEdis ossibus.

CAPVT IX.

OSSA tandem pedis occurrũt, quæ in vtroq; octuaginta quatuor sunt. Diuidũtur autem in ossa Femoris, Tibiæ & Pedis extremi.

Huc facit libri primi caput trigesimum.

Femoris τȣ̃ μηρȣ̃ (*figuræ duæ capitis* 30) os vnũ est, sicut & Humeri, quod à coxis incipit & ad genua finitur: capite enim superiore rotundo (*A*) coxę inarticulatur: inferius verò, geminum habet caput, alterum internum (*E*) alterum externum (*F*) quæ in tibiæ ossis sinus intrant. Ipsius autẽ ceruix (*D*) duos habet processus, quorũ alter externus (*QV*) μέγα τροχαντῆρα, magnus rotator dicitur: alter minor & internus τροχαντῆρα (*a*) seu rotator paruus dicitur.

Huc refer libri primi, capitis trigesimi primi figuras vndecim.

TIBIA seu κνήμη, inter genu talũq; posita, duo, vt & cubitus habet ossa: alterum κνήμη tibia & canna maior

(*tota* 3 *&* 4.*fig.*)quod interius & grãdius eſt: cuius interna iuxta pedem appēdix gibba, σφυρὸν malleolus internus, dicitur. Alterum, περόνη fibula & canna minor (*tota* 5. *&* 6. *fig.*) quod exterius eſt: huius tuber externum iuxta pedem (1. *fig. E*, 2. 5. 6. *&* 9. η) etiam σφυρὸν malleolus, ſed internus nominatur. Sed & Cartilagines duæ notandæ, quarum altera externum (8. *fig. L.*) tibię oſſis ſinum adauget quo internum femoris caput excipitur: altera internum (8. *fig. M*) tibiæ oſſis ſinum auget, cui internum femoris caput articulatur.

Patella (*figuræ duæ lib.* 1. *cap.* 32.) os eſt & femori & tibiæ commune, ipſorum enim coarticulationi pręponitur: eſt autem os rotũdum & breue, quod ἐπιμελὶς & ἐπιγονατὶς, patella & genu rotula dicitur.

Huc refer libri primi, capitis trigeſimitertij figuras tredecim.

PEDIS extremi, oſſa ſunt triginta octo: primum ἀστράγαλος, talus: vulgo, os baliſtę (1 *&* 2. *fig.* Γ) quod magna ex parte ab vtroque oſſe tibiæ com-

comprehenditur. Alterum os, omnium pedis ossium facilè maximū, huic subijcitur, quod πτέρνα calx (1 & 2.Δ) & Calcaneū dicitur. Tertium os, posteriori parte sinuosum, cauitatem scaphæ similem habens (1.& 2.*figur.*Θ) σκαφοειδὲς, os nauiculare vocant & cymbam referens.

Tarsos sequitur (12.& 13.*fig.integra*) quod ex quatuor ossibus constat, quorum tria, quæ quibusdam priuatim χαλκοειδῆ (13.*fig.f.t.u*) vocantur, nauiculari ossi coarticulantur: quartum verò, exterius situm (23.*x*) calci iungitur, & quia cubo assimilatur, κυβοειδὲς nominant.

Plantæ, seu πέδιοι ossa sunt quinq; (1.*fig. I. II. III. IIII. V.*) quę tarsi ossibus articulantur: & his quinq; pedis digiti sustinentur.

Digitorum pedis ossa sunt quatuordecim: pollex enim duobus tātùm, reliqui verò tribus ossibus efformantur.

Sesamina ossa sunt duodecim, cū omnia in pede, manui sint paria, nisi ossicula sesamina quę tanto sunt minora,

nora, minusq; conſpicua, quantò manus digiti, pedis digitos magnitudine ſeparant. Sed vt pedis pollex amplioribus quã manus pollex effirmatur oſſibus, ita multò grandiora hic Seſamina obſeruantur. Duo enim (*2.fig.cap.33.ψ.ω.*) ſatis inſignia primò pollicis articulo ſubijciũtur, nerueæ (*14.muſc.tab.β*) muſculi primum pollicis os flectentis parti. Huius interius, dimidio ferè exteriore maius. Secundò verò pollicis articulo ſubiectum (*2.fig.25.cap.* *) tendini (*14.muſc.tab.δδ.*) ſecundum pollicis os flectenti innectitur de reliquis, ut in manu. Ad hæc referri poſſunt bina oſſicula in poplite occurrentia, quæ duorũ primorum pedẽ mouentium muſculorũ innaſcũtur (*12.muſc.tab.ϖ.ϱ ϖ.ϱ*) capitibus, iuxta femoris os. Sic & oſſea pars in ſenum tendine occurrens, qui ad os (*15.muſc.tab.*X) teſſeram referens reflexus, ſeptimi pedis muſculi tendo exiſtit. Tandem oſſiculum (*ad* κ *fig.2. cap.33.*) quod aliquãdo ad externũ latus articulationis oſſis pedij digi-

tum

tum paruum sustinẽtis cum pedio, ad insertionem tendinis, (15. *musc. tab. b*) octaui pedis musculi.

Ad hęc, in pede non minus quàm in manu, vngues visuntur.

Et hactenus de ossibus totius Pedis breuiter, de his vnà cum reliquis totius corporis ossibus, in peculiari tractatu fusissimè, concedente Domino, acturi.

FINIS LIBRI QVARTI.

CONCLVSIO AVTHORIS.

SIC fœliciter ad laudem Omnipotētis creatoris nostri & humani generis vtilitatem, ex quibus partibus corpus humanum sit constitutum, breuiter & ea qua fieri potuit diligentia, in gratiam Tyronum, quorum causa calamum sumpsimus, exposuimus: insimul & earum partium vsum, quantum in nobis fuit, verè descripsimus: quare trinuno sit laus, honor & imperium. Faxit idem vnus & trinus Hygiæ & Panaceæ parens, vt hæc omnia ad nominis sui altißimi gloriā, proximi vtilitatem, multorumq́; commodū vergāt. Quod si verò in quibusdam, vel defecerimus, vel lapsi fuerimus, cùm in humano genere nil sit ab omni parte beatum, nemoq́; sit tam solidè doctus, quem non aliquando vel labi, vel cespitare contingat, benignus LECTOR *candidè interpretabitur: rectè enim Galenus, 2 de compos. Medica,* κατὰ τόπους:

Χαλεπὸν ἄνθρωπον ὄντα, μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελεέστερον γράψαντα.


LIBRORVM QVATVOR
ANATOMES FINIS.


ΤΥΧΗ ΚΑΙ ΠΟΝΩ.


ERRATA.

Pag 4. *linea* 22. *lege* Volcherus: *p.* 9. *l.* 22. *manuum:* 10 *l.* 14 *operationes.* 33. *l* 23 *colon.* 34 *l.* 2. *firmiores essent) vsus communis.* 41. *l. vlt.* ὀξραχου. 48. *l.* 15. *exsectum.* 50 *l.* 23. *vnita.* 63. *l.* 6. *externis, anno* 1588. *editi.* 69. *l.* 11. *substratum.* 96. *l.* 1. *reliquias.* 98. *l* 11. *ac* πόσθη. 107 *l.* 18. *tamen.* 118. *l.* 5. *costis.* 128. *l.* 6. *structuram.* 139. *l.* 20 *in ouibus.* 148. *l.* 1. *pleuræ.* 154. *l.* 17. *inedijs.* 167. *l.* 21. *deperditur & statim.* 187. *l.* 14. *sed non.* 214. *l.* 5. *totius.* 236. *l.* 27. *& à pericranio,* 239. *l.* 7. *mox sub.* 250. *l.* 18. *venerea.* 257. *l.* 10. *vtcunq;,* & *l.* 24. *ramum.* 262. *l.* 2 *connatus.* 266 *l.* 22. *duo.* 270. *l.* 21. *tamen à.* 275. *l.* 17. *gargareon.* 276. *l.* 19. *de his erit.* 278. *l.* 9. *primum par.* 285. *l.* 9 *statui.* 293. *l.* 24. & Fallopio *quartum.* 306. *l.* 3. *cubiti.* 310. *l.* 25. *proxima.* 312. *l.* 19. *huius munus.* 313. *l. vlt. scapulæ.* 317. *l.* 2. *dele* progreditur. 318. *l.* 2. *cauitatem.* 331. *l.* 5. *neruosum.* 334. *l.* 3. *lunæ montem.* 319. *l.* 18. *quos.* 356. *l.* 9. *contangunt.* & *lin.* 13. *ne os cui præponuntur facilè.* 362. *l.* 9. *patellæ.* 369. *l.* 24. *inferiore.* 370. *l.* 18. *orbiculari.* 380. *l.* 22. *tendinem esse censent.* 381. *l. vlt. hic.*

BASILEÆ,
PER SEBASTIANUM
HENRICPETRI,
Anno
cIↄ Iↄ XC.






3